


69

3.669



新刻丁巳年夏月



Q. HORATHI

FLACCI

DE ARTE POETICA

LIBER.

CUM NOTIS, AC PERPETUA
interpretatione

P. JOSEPHI JUVENCII
è Societate Jesu.



VILLAGARSIAE.

TYPOGRAPHIA SEMINARII.

Anno 1758.

4572

O. HORAY
FILACCI

DE ARTE POETICA
LIBER
CUM NOTIS AC PERPETUA
imperfectione

L. JOSEPHI JAVEMCI
et sociorum suorum



ANTICHRISTUS

ET PLIS SEMINARI
Anno 1628.

FACULTAS R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

Ego Salvator Ossorio Præpositus Provincialis
Provinciae Castellanæ Societatis Jesu, po-
testate speciali ad id mihi facta à R. A. P. N.
Aloysio Centuriono Præposito Generali, facul-
tatem facio ut liber cui titulus est Q. Horatii Flac-
ci *Ars Poëtica*, *Adnotationibus*, ac perpetuâ inter-
pretatione latinâ illustrata à P. Josepho Juvencio è
Societate Jesu, in usum Scholarum ejusdem Societatis,
gravium, doctorumque hominum judicio appro-
batus, typis mandetur; in quorum fidem has li-
teras manu nostra, & Secretarii subscriptas, &
sigillo nostro munitas dedimus. In hoc nostræ
Societatis Lucronensi Collegio die secunda Julii
anno Domini millesimo septingentesimo quinqua-
gesimo septimo.

†

IHS.

Salvator Ossorio.

†
IHS.

Joachimus Medrano.

CENSURA D. FRANCISCI AVI-
*guezal Portionarii in Alma Ecclesia
Palentina, & olim Humaniorum Li-
terarum Professoris.*

Legi ex mandato D. Lic. D. Emmanuelis Rubin de Zelis Provisoris, ac Vicarii Generalis in Palentina Dicecesi Opusculum cuius inscriptio est: *Q. Horacii Flacci Ars Poëtica adnotationibus, ac perpetua interpretatione latina illustrata à P. Josepho Juvencio è Societate Jesu in usum Scholarum ejusdem Societatis.* Legi, inquam, perlibenter, & ut cum Magno Gregorio Ioquar: *Habet unde parvulos nutriat, unde mentes sublimium admiratione suspendat.* Illud censeo pueris utile: Magistris necessarium, ut in tanta Auctorum varietate hunc legant, hunc sequantur, ut qui ita Poëtæ mentem calluit, ac perspicuo, & brevi stylo notam omnibus fecit. Ita mihi videtur, & idem sentio de Appendice de sextertiis, ac Talentis Velerum. Palentiae 1. Junii anni 1758.

D. Franciscus à Viguezal.

CENSURA R. P. Fr. JOANNIS
*Sanchez Ordinis Prædicatorum Præ-
sentati & Prioris Sancti Dominici
Conventus Compostellani.*

Vidi ex mandato D. Lic. D. Emmanuelis Rubin de Zelis Protonotarii Apostolici, Provisoris, ac Vicarii Generalis in Palentina Dicecesi Opusculum, cuius titulus est: *Q. Horatii Flacci Ars Poëtica adnotationibus, ac perpetua interpretatione latina illustrata à P. Josepho Juvencio è Societate Jesu in usum Scholarum ejusdem Societatis*, vidi, inquam, nihilque Theologica censura dignum inveni, in utilitatem studentium omnium commendanda plurima, ut simul, & latinitatem calleant, & historiarum notitia à pueritia illustrentur. Sic sentio salvo &c. in hoc Conventu Sancti Pauli Palentini Ordinis Prædicatorum, Die I. Junii Anni Dñi. 1758.

Fr. Joannes Sanchez.

LICÉNCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Lic. D. Manuel Rubin de Zelis, Provisor, y Vicario General desta Ciudad, y Obispado de Palencia , por el Illmo. Sr. D. Andres de Bustamante Obispo de él , Conde de Pernia del Consejo de S. Mag. &c. Por la presente y por lo que à Nos toca damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima el libro , cuio titulo es : *Q. Horatii Flacci Ars Poetica adnotationibus, ac perpetua interpretatione latina illustrata:* compuesto por el P. Joseph Jubencio de la Compañía de Jesus , atento que de nuestra orden , y mandato se ha visto, y reconocido , y parece no contiene cosa que se oponga à nuestra Santa Fé Catolica , y buenas costumbres. Dada en Palencia à 1. de Junio de 1758.

Lic. Rubin.

Por su mandado
Manuel de las Barcenas.

DOn Joseph Antonio de Yarza, Secretario del Rei N. S. su Escribano de Camara mas antiguo, y de gobierno del Consejo.

Certifico que habiendo visto por los Señores de él el libro intitulado : *Q. Horatii Flacci Ars Poetica adnotacionibus ac perpetua interpretatione latina illustrata*, que con licencia de dichos Señores concedida al P. Francisco Xavier de Idiaquez de la Compañia de Jesus, Rector del Colegio de Villagarcia ha sido reimpresso tasaron à siete maravedis cada pliego; y al dicho precio, y no mas mandaron se venda, y que esta certificacion se ponga al principio de cada libro para que se sepa el à que se ha de vender. Y para que conste lo firmé en Madrid à 1. de Septiembre de 1758.

D. Joseph Antonio de Yarza.

FIDES CORRECTORIS.

PAg. 8. lin. 15. plerun que, lege, plerumque.
Pag. 81. lin. 13. classe, lege, classe.
Pag. 88. lin. 21. eicurasse, lege, cicurasse.

Liber hic de *Arte Poetica Q. Horatii Flacci*
cum his mendis suo exemplari respondet. Ita si-
dem facio. Matriti die vigesima tertia Aug. anno
Dñi. millesimo septingentesimo quinquagesimo oc-
tavo.

Doct. D. Manuel Gonzalez Ollero.

à C. M. Gen. Corr.

EL

EL REY.

POR quanto por parte del P. Rector ,
y Colegio de la Villa de Villagarcia
de la Compañía de Jesus , se repre-
sentó en el mi Consejo deseaba im-
primir un libro , cuio titulo es :
*Q. Horatii Flacci Carmina Expurgata , cum adnota-
tionibus ac perpetua interpretatione Josephi Juvencii
è Societate Jesu ,* y recelándose de que se lo re-
impriman , suplicó se le concediese Licencia , y Pri-
vilegio , por tiempo de diez años para su impresion : y visto por los del mi Consejo , (y como
por su mandado se hicieron las diligencias , que
por la Pragmatica ultimamente promulgada so-
bre la impresion de los libros se dispone) se acor-
dó espedir esta mi Cedula por la cual concedo li-
cencia , y facultad al espresado P. Rector , y Co-
legio de Villagarcia para que sin incurrir en pena
alguna por tiempo de diez años primeros si-
guientes , que han de correr , y contarse desde
el dia de la fecha della , el susodicho , ó la
Persona , que su poder tubiere , y no otra al-
guna pueda imprimir , y vender los referidos

libro , con que se haga en papel fino , y por el original , que en el mi Consejo se vio , y ba rubricado , y firmado al fin de D. Joseph Antonio de Yarza mi Secretario , y Escribano de Camara mas antiguo , y de Gobierno de él , con que antes , que se venda se traiga ante ellos juntamente con dicho originale , para que se vea si la impresion está conforme à el ; traiendo así mismo fe en publica forma , como por Corrector por mi nombrado se vió , y corrigió dicha impresion por el original , para que se tase el precio à que se ha de vender. Y mando al Impresor , que imprimiere el referido libro , no imprima el principio , y primer pliego , ni entregue mas que uno solo con el original al dicho P. Rector ó Colegio , à cuia costa se imprime , para efecto de dicha correccion , hasta que primero esté corregido , y tafado el citado libro por los dél mi Consejo ; y estandolo así , y no de otra manera , pueda imprimir los principios , y primeros pliegos , en los cuales seguidamente se ponga esta licencia , y la aprobacion , tasa , y erratas , pena de caer è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas , y Leies destos mis Reinos , que sobre ello tratan , y disponen. Y mando que ninguna Persona sin licencia del expresado P. Rector , ó Colegio , pueda imprimir , ni vender el

citado libro , pena , que el que lo imprimiere
haia perdido , y pierda todos , y cualesquier li-
bros , moldes , y pertrechos que dicho libro tu-
biere , y mas incurran en la de cincuenta mil
maravedis ; y sea la tercia parte dellos para la
mi Camara ; otra tercia parte para el Juez que
lo sentenciare ; y la otra para el denunciador ,
y cumplidos los dichos diez años , el referido P.
Rector , ò Colegio , ni otra Persona en su nombre ,
quiero no use desta mi Cedula , ni prosiga en
la impresion de el citado libro , sin tener para
ello nueva licencia mia , so las penas en que
incurren los Concejos , y Personas que lo hacen
sin tenerla . Y mando à los dél mi Consejo , Pre-
sidentes , y Oidores de las mis Audiencias , Al-
caldes , Alguaciles de la mi Casa , Corte , y Chan-
cillerias , y à todos los Corregidores , Afisten-
te , Gobernadores , Alcaldes Maiores , y Ordin-
arios , y otros Jueces , Justicias , Ministros , y Per-
sonas de todas las Ciudades , Villas , y Lu-
gares destos mis Reinos , y Señorios , y aca-
da uno , y cualquier dellos en su distrito , y
Jurisdicion , vean , guarden , cumplan , y ege-
cuten esta mi Cedula , y todo lo en ella con-
tenido , y declarado , y contra su tenor , y for-
ma no baian , ni pasen , ni consientan ir ni pa-
sar en manera alguna , pena de la mi merced , y
de

de cada cincuenta mil maravedis para la mi Ca-
mara. Dada en Buen-Retiro à veinte y ocho
de Febrero de mil setecientos y cincuenta y
ocho.

Y O E L R E Y.

Por mandado del Rei mi Señor,
D. Agustín de Montiano
y Luiando.

Q.



Q. HORATII FLACCI

DE ARTE POETICA LIBER:

ARGUMENTUM, ET SYNOPSIS

I.

MATERIAM, ET PARTES
poëmatis universè sumptas, earumque
cum opere toto necessariam con-
fessionem explicat à versu I.
ad 46.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Fungere si velit & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in pisces mulier formosa superne;

A

Spe-

Spectatum admissi risum teneatis amici? 5
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem, cuius, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus, atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aqua potestas. 10
Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque
vicissim:
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Quis vestrum, amici Pisones, à risu tem-
 peraret, si forte vobis tabella propo-
 neretur spectanda, in qua pictor huma-
 num caput imposuisset collo equi, tum cor-
 rogata, & in unum collecta è variis animali-
 bus membra componens, ea sic plumis versi-
 coloribus indueret, ut superior hujus mon-
 stri pars formosam exhiberet mulierem, poste-
 rior deformem, horridumque pîscem? Sic ha-
 betote, Pisones, simillimum huic picturæ li-
 brum fore, cuius partes inconditæ, & incom-
 positæ, tamquam illæ species, quæ somnianti-
 bus ægrotis objiciuntur, erunt ita perturbatæ,
 & dispare, ut nec prima, nec postrema pars
 ad unam, & eamdem formam, ac figuram effi-
 ciendam, in unum quoddam totum, conspîret.
 pi-

Pictores, inquiet aliquis, & Poëtæ parem habent quidvis fingendi facultatem. Evidem non diffiteor, utque hanc potestatem, & copiam ultro invicem concedimus, ita vicissim alteri ab alteris postulamus. Non ea tamen lege, ut simul jungantur animalia mitia, & mansueta cum feris, & immanibus; ut angues cum volucribus, agni cum tigribus componantur.

NOTÆ.

6. Pisones. *Lucius Piso*, ejus *Pisones filius*, in quem Cicero gravissima oratione invectus est, duos habuit liberos amantes literarum, & poëticæ studioflos: illis hanc epistolam, sive librum, mittit Horatius.

INceptis gravibus plerunque, & magna professis,
Purpureus, latè qui splendeat, unus & alter 15
Adsuicit pannus, cum lucis, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat expes 20
Navibus, ære dato qui pingitur? Amphora cœpit

Institutum ; currente rota cururceus exit?
Denique sit quodvis simplex dumtaxat, & unum.

SÆpe initium poëmatis est splendidum, & ejusmodi, ut magnum aliquid polliceri videatur : sed huic initio gravi, & decoro descriptiones quædam, v. g. nemoris, & altaris Dianæ, rivuli per virentes campos fugientis, Rheni, aut Iridis attexuntur, & tamquam ignobiliori panno frusta purpurea, quæ splendoris plurimum habeant, adsuuntur: mendose ; quia hæc prorsus aliena sunt ab instituto, & nequaquam in loco posita. Similis es pictoribus imperitis, qui cupressos, alias que id genus arbores non in sece pingunt : sed quid hoc ad rem pertinet, cùm idcirco pecunia illis data fuerit, ut naufragum pingerent, nudum, rebus omnibus spoliatum, & vix ab iratis fluctibus emersum ? Vas aliquod magnum ex argilla veluti fingere cœperas, cur in urceolum desinis ? Huc igitur primum artis poëticæ præceptum recidit, ut quodlibet poëma unum quiddam sit, ita suis partibus unam in formam coalescentibus constans, ut ne sit multiplex corpus, sed unicum, & simplex.

?ꝝ?

NO-

NOTÆ.

16 Ara Dianæ. Erat *Lucus Dianæ sacer*, & *ara prope Ariciam*, de qua urbe dictum est Sat. 5. Lib. I. *Huic aræ præpositus sacerdos*, *Rex nemorum dicebatur*. Altera fuit *Dianæ ara celebris in Taurica Chersoneso*.

Dianæ. Od. 9. Libri II. Od. 16. Libri III.

18 Rhenum. *Rhenus, ingens fluvius, Gallias à Germania separans*: el Rin.

Pluvius. *Qui pluviam denuntiat. Iris fit in nube roscida, & stillante.*

19. Cupressum. *Arbor est funesta, & in funeralibus tantum adhiberi solita: minus igitur hic idonea, siquidem enatat naufragus*, & vivit. *Pictores imperiti libenter, & non inscite arbores ubilibet depingunt, maxime cupressos, quæ facile pinguntur.*

20 Simulare. Pingere. *Picturæ laus quippe prima est, ut res pingendas ad similem veris. Neque aliud Poëtæ, itidem ut Pictores, sunt, quæ m imitatores rerum, quæ sunt, aut esse possunt: itaque veritatem, aut similitudinem veri sectari debent in omnibus: id enim dumtaxat est imitabile, quod est revera, aut esse potest.*

Si fractis &c. Solebant naufragi pictam cir-

cumferre tabulam, in qua naufragii luctuosa imago cernebatur, ut ea specie hominum commiserationem, & nummos elicerent. Vide Persium Sat.

I. Juvenal. Sat. 12.

21 Amphora. Mensura liquidorum, continens duas urnas, sextarios octo & quadraginta : cuarenta y ocho cuartillos. Vide Sat. I. Libri I.

*22. Rota. Utuntur figuli rota in scilicet tor-
nandis.*

Urceus. Vasculum fictile, aut æneum &c.

(digni,

*M*axima pars *Vatum*, pater, & juvenes patre
Decipiuntur specie recti: brevis esse labore; 25
Obscurus sive: sectantem laevia nervi
Deficiunt, animique: professus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium, timidusque prosellæ.
Qui variare cupid rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum. 30
In vitium dicit culpæ fuga, si caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus & unguies
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos;
Infelix operis summa, quia ponere totum 34
Nesciet. *Hunc* ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Præ-

Rætereæ plerique omnes Poëtæ, ò pater, &
P filii parente digni , in errorem, & vitium
inducimur specie, ac larva recti, verique. Est
qui brevitatem consequatur, sed obscurè, ac
perplexè scribit: alius polita , & terfa ora-
tione concinnus , & comptus esse gaudet, sed
nervis caret , ac robore : hic grandi, & co-
thurnato utitur stilo: verum plus æquo adsur-
gens, inflatus , ac tumidus est: ille nimis cau-
tus dum altum , tempestatis metu , fugit, hæ-
ret in litore , ac repit humi : alius dum mirâ
quadam , & inauditâ rerum varietate lectores
oblectare studet, tam absurdâ saepè commi-
niscitur, quam si delphinos in silvis ludentes
faceret, aut apros in mari. Omnino nisi arte
utimur , & prudentiâ , in gravissima peccata
delabimur, dum ipsa peccata summoperè fu-
gimus. Inter statuarios, quorum tabernæ sunt
circa Æmilianum ludum, videre est unum quæ-
piam , cuius officina extremam circi partem
spectat , non radem in excudendis molliter,
& concinne unguibus, & capillis: verum, quod
caput est, integrum statuam suis pro ratâ
portione membris constantem , & omnibus
numeris absolutam efficere non potest. Huic
ego similis esse, si quid scribam, haud magis
velim , quam turpi deformis esse naso, cete-

roquin ob nigros oculos, crinesque formosus.

NOTÆ.

25 Brevis &c. *Brevitas, concinnitas &c. sunt dotes boni carminis; sed eas dum sectantur plerique, decipiuntur specie recti, in vitium excidunt, in obscuritatem, humilitatem &c.*

32 Æmilium ludum. *Intelligit ludum gladiatorium: casa de armas, ubi Æmilius Lentulus lanista gladiatores docebat artem armorum tractandorum: Maestro de esgrima. Æmilium autem ludum dixit pro Æmilianum, usus nomine proprio pro possessivo.*

34 Operis summâ. *Absolutione, perfectione. In opere perficiendo parum felix, & peritus. Quia totam statuam aptis inter se partibus, & aequaliter elaboratis constantem ponere non poterit.*

37 Nigris oculis. *Oculi nigri, & crines apud Romanos in pretio erant.*

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter crit res, 40
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Or-

*Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor:
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat:
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* 45


QUICUMQUE poëma meditamini, argumentum deligit vestris ingenii, & eruditioni accommodatum, ac vobiscum diu considerate, cui pares oneri sitis, cuinam impares. Qui materiam scribendi non majorem suis viribus delegerit, is, & eam exprimet cum dignitate, & in ordinem facile disponet, unde operi lux adfulget. In eo porro consistit vis ordinis, & gratia, nisi fallor, ut quædam, quæ dicenda modo sunt, dicantur; quædam rejiciantur in aliud tempus, & in præsentia taceantur: ut exspectati poëmatis conditor nonnulla tractet accurate; quædam repudiet.

NOTÆ.

40 Potenter. *Pro potentia, & viribus:* à medida de sus fuerzas.

42 Venus. *Gratia, pulchritudo.*





II.

ELOCUTIONEM, SEU VERBORUM,
versuumque rationem expendit à ver-
su 46. ad 119.

In verbis etiam tenuis, cautusque ferendis;
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis 50
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter;
Et nova, fictaque nuper, habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parcè detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? ego cur adquirere pauca 55
Si p̄fsum, invideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
Signatum præsente notâ producere nomen.
Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos, 60
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
De-

*Debemur morti nos , nostraque ; sive receptus
 Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
 Regis opus ; sterilisve diu palus, aptaque remis 65
 Vicinas urbes alit , & grave sentit aratrum:
 Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
 Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt,
 Nedum sermonum stet bonos , & gratia vivax.
 Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque, 70
 Quæ nunc sunt in honore, vocabula , si volet Uſus:
 Quem penes arbitriū est, & jus, & norma loquendi.*

JAm quod ipsa verba spectat, parcum esse oportet, ac prudentem in iis fingendis, & procedendis. Recte fueris locutus, si duæ voces alioqui notæ, ingenioso vinculo inter se junctæ , novum vocabulum efficien. Quod si forte opus erit recens aliquod verbum procreare, ad rem aliquam reconditam indicandam , licebit voces fabricari, quas antiqui illi, & strenui Cethegi non audierint, & ea potestas concedetur, modo id verecundè, ac modarate fiat. In iis autem verbis, quæ novata , & recens erunt facta , plurimum illa fidei, & auctoritatis obtinebunt , quæ Græcam habebunt originem, à qua modicè derivata proferantur. Quid esse porro causæ potest , cur aliquid Cæcilio , & Plauto licuisse in

in hac parte Romani patientur , quod Virgilio , & Vario concessum esse nolint ? Cur invidi molestè ferant à me angeri Latinum sermonem , & ditari paucis vocibus , cùm Cato , & Ennius patriam linguam locupletaverint , & novis rerum vocabulis inventis auctiorem eam , uberioremque reddiderint ? Fas fuit , eritque semper , producere vocem novam , dummodo , tamquam nummus probatus , notam usitatam præ se ferat . Ut in silvis , vergente in hiemem anno , ea folia labuntur prima , quæ priore loco sunt nata . sic vetustæ voces , tamquam senio effœtæ , occidunt ; interim dum verba , non ita pridem in lucem edita , instar juvenum , vident , ac virent . Nimirum non modo nos addicti , & devoti morti omnes sumus , verum etiam nostra omnia : sive immissum in terras mare portum efficit , ac naves tutas à procellis præstat : quod opus regifico sumptu , & magnificentia perfectum ab Augusto admiramus : sive ager olim sterilis ob stagnantem paludem cymbis perviam , nunc desiccatus , colitur , & fruges effert nutriendis oppidis in viciniâ positis idoneas : sive fluvius antea exundans , & sara evertens , oppositis aggeribus prohibitus fuit , ne noceret , cursum que

que commodiorem tenere jussus. Hæc, inquam, & cetera mortalium opera evertentur, & interibunt: atque adeo multo minus postulandum est, ut perpetua verbis, ac sermoni venustas, & quasi vita constet. Multæ voces, quæ obliteratae, & antiquatae jam sunt, reviviscent, ac iterum florebunt: multæ, quæ jam florent, & vigent, oblivione detinentur, & extinguentur, si usui visum erit, qui jura sermoni, & leges pro imperio, arbitrioque ponit.

NOTÆ.

46 Serendis. Faciendis, & novandis. Translatio est ab arboribus. Novari verba dicuntur, cum veluti gignuntur: id quod fieri dupliciter potest, vel junctura, seu conjunctione vocum: vel sine conjunctione, ut docet Tullius III. de Oratore. Junctura quidem, cum è duobus vocabulis junctis tertium existit: v. g. ex velum & volo, velivolus; ex fœdus & frango. fædifragus: ex post & limen, postliminium. Ita novum, seu novatum verbum redditur notum propter notas, è quibus junctis constat, voces. Sine conjunctione vero novantur, & fabricantur verba, cum simpli- citer, & integre fiunt: sic vox ista gemma usur-

pata est à Latinis, cum propriam haberent nullam ad significandum id, quod vernacule in vitiibus, & arboribus appellatur yema: sic vocabulum Græcum περισκελής periscelis, Latinitate donatum fuit, ad significandam tæniam, qua crux cingitur: las ligas.

49. Indiciis. Vocibus, quæ sunt signa rerum.

Abdita rerum. Res abditas, & latentes, nondum suis nominibus donatas.

50 Cinctutis. Vox vetus, quam de industria hic usurpat Horatius pro cinctis, recinctis, strenuis, & expeditis. Cincto opponitur discinctus, quam vocem explicatam vide in lib. Epod. Od. I. v. 34. Cungi, proprie est ad militiam, & ad pugnam armari. Appellabatur etiam cinctutus, qui utebatur cincto: erat autem cinctus, ratio quædam, & forma vestis, usitata Romanis veteribus, maxime Consulibus in certis cærimoniis, cum togæ lacinia rejecta in humerum sinistrum, inde ad imum pectus infra brachium dextrum revocabatur, & instar cinguli convolubebatur circa partem summam linteï cujusdam, sive subligaculi, quod à lumbis ad femora prominum, illis erat instar tunicæ. Hic vestis modus à Gabiis acceptus olim fuerat, ut docet Virgilius Lib. VII. vers. 612.

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino In-

Insignis, reserat stridentia limina consal.

Cethegis. Actum de Cethego sub finem Epist.

2. Lib. II.

53 Græco fonte &c. Si erunt è Græca lingua
in usum Latini sermonis modeste deflexa. Talia
sunt ephippium, diota, toteuma &c.

54 Cæcilio, Plauto &c. Lege Epist. 1. Lib. II.

55. Vario Od. 5. lib. I.

56 Catonis. Od. 13. Lib. I. & Epist. 19.
Lib. I.

Enni. Epist. 1. Lib. II.

59. Signatum &c. Recens veluti cufum,
marcado con el cufio Real, y publico.
Quænam autem est illa usitata nota, & forma,
qua voces, ut nummi, signantur, & valent? Est
v.g. analogia, proportio, & similitudo cum
vocibus aliis usitatis: est doctorum consensus: est
popularis consuetudo, & praesentis ævi usus &c.
Vulgo legitur producere nomen: Lambinus ma-
lit proculdere, ut habent libri aliquot calamo
exarati.

63 Receptus &c. Sinus Puteolanus est in Ita-
lia, non procul Neapol. Prope hunc sinum erat
Lucrinus lacus, cuius facta mentio Od. 12. Lib.
II. Is à mari vicino disjungebatur angusta ter-
ræ parte, qua perfoſſa, Augustus mare in Lu-
crinum lacum immisit, effecitque portum, qui

Ju-

*Julius Portus est appellatus. Meminit de illo
Virg. II. Georg. vers. 160.*

65 Regis opus. *Id est, regale; Regem enim
Augustum Horatius, invidioso tunc nomine, non
appellasset.*

Palus. *Pomptina, sive Pontina palus est in
Italia, in Latio, inter fluvios Asturam, & Ama-
senum, non procul à Foro Appii. Eam olim ex-
siccaverat Cornelius Cethegus consul, teste Pli-
nio Lib. IV. c. 4. Verum, cum subinde esset aquis
oppleta, & vicinus ager sterilis jaceret, Augu-
stus iterum eam siccavit.*

67 Seu cursum &c. *Cum exundaret Tiberis,
coactus est partim exstructis Augusti iussu moli-
bus, partim aquis in alium alveum derivatis, par-
cere agris, ac temperare.*

69 Nendum &c. *Regum opera non sunt sempi-
terna, quanto minus verba? Mortalium omnium
opera concidunt: quanto magis ipsæ voces dila-
bentur, & senescunt?*



*Res gestæ Regumque, Duxumque, & tristia bella,
Quo scribi possent numero monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum, 75
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni 80
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre. 85*

Docuit Homerus, quo scribenda versu forent egregia Regum, & Imperatorum facinora, tristesque bellorum caus. Adhibiti sunt versus impares, & inæquales, alternis juncti, ad exprimendos hominum de adversa fortuna querentium luctas, mox etiam ad canendas res prosperas, quæ nos votorum compotes faciunt. Quis artifex tamen elegiæ fuerit, adhuc altercantur inter se grammatici, nedum ista lis composta est. Invenit Archilochus jambicum carmen, quo ad explendam suam in sacerorum iracundiam est usus. Hunc versum sumpfere

tragœdiarum pariter, & comœdiarum scrip-
tores, quia mutuis colloquiis idoneus est,
& gravitatem quamdam spirat, propter quam
fit, ut facile inter spectantis populi, tumultu-
uantisque strepitus audiri possit; demum quia
sermoni quotidiano similis, ad actiones homi-
num, quæ in theatro repræsentantur, expri-
mendas, ab ipsa natura est comparatus. Pla-
cuit Musis, ut lyrico versu Divorum laudes,
heroum res gestæ, athletarum certamina, ve-
locitas equorum, & palmæ, juveniles nu-
gæ, liberiores inter pocula joci, canerentur.

73. Res gestæ &c. Non satis est voces idoneas
deligere: adhibendum etiam carminis genus ar-
gumento congruens: ea de re nunc agit.

74. Quo scribi versu. Heroico, scilicet, qui
sonorus in primis, & numerosus est. Non omnis
versus hexameter heroicus itidem est. Isti versus,
quibus utitur modo Horatius, hexametri sunt, he-
roici non sunt.

75. Impariter junctis. Altero longiori, sive
hexametro; altero breviori, seu pentametro, qui
proprie versus elegiacus est.

76. Sententia voti compos. Oratio signifi-
cans lætitiam de re bene, ac feliciter gesta.

77. Exiguos elegos. Vel, quia elegia constat
al-

*alternis versibus brevioribus: vel, quia exiguum,
& tenuem stilum postulat.*

79. Archilochum. Epod. Od. 6. v. 13.

Proprio. Non quod antea inventus, opinor,
non esset jambicus pes, & versus: sed quia ne-
mo illum tam opportune hactenus, & splendide,
quam Archilochus, adhibuerat: ideo illius parens,
& inventor est appellatus.

80. Sacci. Soccus, humilior calceus, quo ute-
bantur actores comædiarum, chapin, zueco cal-
zado de comediantes. Cothurnus, calceus al-
tior, & ornatior, quem tragœdiæ actores inducebant;
borcegui calzado de tragedias. Epist. I. Lib. II.

82. Natum rebus agendis. Quia est celer,
& sua sponte se offerens: à proposito para espli-
car con viveza las acciones humanas. Nil aliud
sunt comædia, & tragœdia, quam imitationes
actionum humanarum, hæc illustrium, illa plebeja-
rum, & domesticarum, ut saepe monuimus. Est
idem versus alternis aptus colloquis, quia minus
artis, operæque postulat: utpote nativo, & quo-
tidiano sermoni propior.

83. Divos &c. Divorum laudes, & dies festi,
heroum egregia facinora, ludorum hilaritas, &
conviviorum, aliaque id genus cantu maxime gau-
dent, ac celebrantur: est autem lyricum carmen
præ ceteris idoneum cantui, & symphoniacæ, ut
patet.

Pueros Deorum. *Filios Deorum, ut Hercu-
lem, Orpheum &c.*

84. Pugilem, & equum &c. *Od. I. Lib. IV.*

*Descriptas servare vices, operumque colores,
Cur ego si nequeo, ignoroque, poëta salutor?
Cur nescire, pudens pravè, quam discere, malo.
Versibus exponi tragicis res comica non vult.*

*Insignatur item privatis, ac prope socco 90
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri. 95
Telephus, & Peleus, cum pauper, & exul uterque,
Projicit ampullas, & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querelâ.
Non satis est pulchra esse poëmata: dulcia sunt,
Et quocumque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus adrident, ita flentibus adsunt 101
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lœdent
Telephe, vel Peleu: male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. *Tristia mæstum 105*
*Vultum verba decent; iratum, plena minarum:**

Lu-

*Ludentem, lasciva : severum, seria dictu.
 Format enim natura prius nos intus ad omnem
 Fortunaru[m] habitum: juvat, aut impellit ad iram;
 Aut ad humum m[er]ore gravi deducit, & angit: 110
 Post effert animi motus interprete lingua.
 Si dicentis erunt fortunis absonta dicta,
 Romani tollent equites, peditesque cachinnum.
 Intererit multum, Davusne loquatur, an heros:
 Maturusne senex, an adhuc florente juventa 115
 Fervidus: an matrona potens, an sedula nutrix:
 Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:
 Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.*

CUR præclarum poëæ nomen mihi defer-
 tur, si carminum hanc varietatem alio-
 rum alii arguento congruentium, aut
 nescio, aut usurpare non possum, & istis qua-
 si coloribus adumbrare diversa poëmata? Cur
 vitioso pudore ductos meam iuscitiam foyco
 potius, ac celo, quam eamdem & fateor,
 & emendo, discendo, quod nesciebam? Ne-
 que tamen jambici versos, qui tragœdiæ con-
 veniunt, iidem comœdiæ sunt appositi. Ar-
 gumentum enim tragicum, qualis est illa fe-
 ralis cœna, in qua Thyestes suos ipse filios
 devoravit, respuit jambicos versos humili,
 ac plebejo sermone perscriptos, quales in

comœdiis adhibentur. Decet igitur rebus, & argumentis aptare carmina, ut suum singula locum obtineant. Fieri tamen aliquando potest, ut comœdia grandiori stilo, versibusque sonantioribus utatur ; & Chremes, comica illa persona, cùm iracundiâ effertur, vocem attollit, ac more tragico debacchatur : contra verò actor tragicus dolorem suum humili sermone, & versibus negligentè fusis, ac propè repentibus exprimit: nihilque Telepho, & Peleo, cùm ad extremam inopiam redacti, exules, ærumnosi, suam deplorant calamitatem, faciendum est diligentius, quām ut abjiciant, omittantque verba inflata, & turgida, si spectatorum animos ad commiserationem inflectere laborant. Quæ hactenus diximus suam poëmati pulchritudinem, & formam conciliant : sed hoc non est satis: oportet accedit suavitas quædam, & jucunditas, quæ in eo maxime posita est, ut ad quemcumque libuerit affectum audientes impellantur. Id porrò ut efficiat poëta, dabit operam, ut quem in aliis motum ciere cupit, eumdem in se ipse exprimat. Ita enim sunt homines comparati, ut vultum suum componant ad alterius vultus similitudinem, ut adrideant ridentibus, adfleant flentibus. Mo-

ve-

vere me ad dolorem studes ? fac ipse prior dolorem præ te feras. Telephi vicem , ac Pelei dolebo , cùm eos mæstos , flentes , dejetos , intuebor. Quod si partes sibi demandatas perperam impleant , si læto , aut alieno vultu dicant tristia , risui me , aut somno dedam. Jam ipsi vultui verba sunt accommodanda , mæsta tristi , irato minacia , jocosa ludenti , austero gravia , & severa. Atque hoc natura satis ipsa docet , quæ motus , affectusque similes sorti , ac fortunæ nostræ , voluptatem , iracundiam , aut tristitiam , & sollicitudinem ingenerat primum animis nostris , deinde ad eosdem motus foras quasi promendos linguam interpretem adhibet. Itaque si oratio parum accommodata erit ejus , qui dicit , statui , & conditioni , explodetur actor , & Romanæ plebis , ac procerum cachinnis excipietur. Ad eam rem plurimum intererit videre , quis loquatur , servus , an vir aliquis princeps , senex , an adolescentis , nutrix , an matrona , mercator , an agricola ; in Affyria natus , aut Colchide , Thebis , an Argis.



NOTÆ.

86. Descriptas vices. *Adsignatum*, & *atributum à Magistris artis*, & *proceribus unicuique poëmati hoc, illudve carminis genus: certam orationis formam, & characterem.*

Colores. Ut enim pictura distingui debet, ornarique suo quæque pigmento, & colore, tristis, & luctuosa, obscuro; læta, & hilaris lucido, & ameno &c. sic poëma triste, exempli causa, exprimendum est elegiaco versu; heroico, grave, ac nobile &c.

87. Poëta salutor. *Acron refert, poëtas olim magno cum honore solitos appellari, & poëtæ nomine, tamquam dignitatis pleno, salutari.*

89. Tragicis. *Ampullatis, sonantioribus.*

91. Thyestæ. *Lib. I. Od. 14.*

94. Chremes. *Senex apud Terentium. Is in Heautontimorumenos filium graviter, & tragicum in morem objurgat.*

96. Telephus. *Epod. Od. 12.*

Peleus. *Achillis pater, ab Æaco parente suo, propter interficium fratrem, exulare jussus.*

97 Ampullas. *Ep. 3. Lib. I. palabras incluidas. Metaphora dicitur ab ampullis, quas Græ-*

Græci λυνόσους vocant : quæ vascula erant ore angusto , turgido ventre.

Sesquipedalia verba. Longiora; quæ Græcis, utpote alias voces aliis jungere , & consuere solitis , erant frequentiora: compuestas de varias voces juntas.

101. Adsum. Reddunt se similes : opitulantur, & præsto sunt. Legunt aliqui , adstant. Docet Horatius quo pacto motus in aliorum animis concitari possint , nempe si ipsi moveamur , & efficiamur tales , quales alios effici volumus : si vultum illum adsumamus , & animum , quem in alios transferre conamur. Ovid. Nec vultu destrue verba tuo.

104. Telephe. Actorem adloquitur , qui Telephi partes agat.

Mandata. Exponi potest hoc verbum de aliqua oratione , quæ habita fuerit à Telepho , vel Peleo , cum supplices alienam opem implorarent. Nonnulli existimant , hunc esse ordinem verborum : si loqueris male mandata , id est , si ea dicis , quæ poëta imperitus male tibi dederit dicenda.

107. Lasciva. Plena joci , & hilaritatis : jocosas , divertidas , graciosas.

109. Juvat. Obléctat , gaudio adscicit. Opponitur enim ea vox iræ , & tristitiae , de quibus vox agit : ita quatuor præcipuos affectus expressit

sit, gaudium, tristitiam, metum, & iram.

114. Intererit &c. Nempe ad hoc, ut verba,
 & affectus unicuique personæ accommodati tri-
 buantur.

Davus. Persona comica, & nomen servi.
Quidam legunt, Divus. Videtur enim hic age-
re Horatius de tragœdia, in qua Davo locus non
est, esse Divis locus potest.


116. Nutrix. Feminis principibus addere so-
 lent Græci suis in tragœdiis nutrices, hoc est,
custodes quasdam, & moderatrices: confi-
dentes, dueñas.

118 Colchus. Od. 10. Lib. II. Od. 3. Lib.
 IV. Colchi, utpote Scythis vicini, feroceſ erant,
 & Barbari: Assyrii, molles, & luxu perditii:
 Thebani, pingues, & tardi: Argivi, exculti
bonis artibus, honoris appetentes &c.

Assyrius. Od. 4. Lib. III.

Thebis. Od. 3. Lib. IV.

Argis. Od. 6. Lib. I.





III.

AGIT DE PERSONIS, QUÆ
inducuntur loquentes in carmine Dra-
matico : illæ vel notæ sunt , vel novæ,
& ignotæ : quid in utrisque sit obser-
vandum præcipit à versu 119.

ad 136.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge
Scriptor. Honoratum si fortè reponis Achillem, 120
Impiger , iracundus , inexorabilis , acer ,
Jura neget sibi nata , nihil non adroget armis.
Sit Medea ferox , invictaque , flebilis Ino ,
Perfidus Ixion , Io vaga , tristis Orestes.

IN personarum porrò, quæ inducuntur, mo-
ribus describendis , si notæ sunt , par est
illas tales exhibere , quales fuisse fama
prædicat ; si sunt ignotæ , & novæ , curan-
dum , ut iidem semper ipsis mores , eadem
indoles adfingatur , & quidem ejusmodi , quæ
ipso-

ipsorum quasi characteri, & formæ conveniat. Si Achillem toties cum honore decantatum, & in scenam productum, iterum exhibes, pinges illum strenuum, pronum, ad iram, exorari nescium, audacem: dicat se legibus ceterorum hominum solutum esse, omnia se consequi per vim, & arma posse putet. Medeam describes ferocem, & indomitam; Ino calamitosam, & lactu perditam; Ixionem perfidum; Io errantem; Orestem mæstum.

119 Sibi convenientia. *Ita ut, v. g. Rex regio semper loquatur, & agat more: furiosus nihil placidum, & humanum spiret: femina non inducatur instar Nestoris cordata, & sapiens, &c. character conforme al fugito.*

120. Achillem. *Od. 5. 7. 9. 13. Lib. I. Od. 5. Lib. IV.*

123. Medea. *Od. 3. Epod.*

Ino. Cadmi filia, Athamantis uxor fuit. Athamas in furorem versus, cum eam insequeretur, ipsa se præcipitem in mare dedit, cum Filio Melicerta. Dea subinde facta, & Lencothea nuncupata, opem navigantibus ferre credebatur.

Ixion.

124. Ixion. Od. 8. Lib. III. *Theſſaliæ Rex,*
Dejoneum ſocerum ad epulas invitatum, dolo in-
teremitt: hinc perfidus vocatur.

Io. Inachi, primi Argivorum Regis filia, quam
Jupiter in vaccam mutaffe fertur. Eadem æstro
ab Junone immiffo agitata, multas orbis regio-
nes peragravit, ac tandem venit in Ægyptum,
ubi, reddita humanæ formæ, culta eſt pro Dea,
& Iſis vocata.

Orestes. Sat. 3. Lib. II. *Triftis dicitur, quia*
furiis agitatus, imperfectæ matris umbram fera-
lem oculis obversari ſemper credbat. Virg. IV.
Æneid. vers. 471.

SI quid inexpertū scenæ committis, & audes 125
 Personam formare novam; ſervetur ad iunum,
 Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.
 Difficile eſt proprie communia dicere, tuque
 Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
 Quām ſi proferres ignota, indictaque primus. 130
 Publica materies privati juris erit, ſi
 Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem,
 Nec verbum verbo curabis reddere fidus
 Interpres: nec deſiles imitator in arctum,
 Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex. 135
 Quod

QUod si novam, & inventam à te primum personam inducis in theatrum, vide ut usque ad finem poëmatis talis perseveret, qualis ab initio est visa, neque à se ipsa dissidet. Res prorsus ardua est, argumentum aliquod à nullo adhuc sumptum, & occupatum propriâ quadam, ac novâ ratione tractare. Itaque præstat, meo quidem judicio, locum aliquem Homericæ Iliados in scenam proferre, quam incognitam, & a nemine antea tractatam historiam exhibere. Porrò publicum ejusmodi, & notum argumentum, tuum quodammodo, & proprium efficies, si non sequaris ordinem, & seriem rerum, quales ab historicis vulgo narrantur: si non exscribas ad verbum singulas scriptoris, quem tibi delegeris imitandum, sententias perinde quasi fidelis interpres, non poëta, fores: si, dum illum scriptorem æmularis: unde sumis argumentum scribendi, non patiaris deduci te in aliquem angustum, ac difficilem locum, unde te expedire sine pudore nequeas, & unde regredi, nisi perruptis, violatisque poëseos, & carminis à te suscepti legibus, non possis.

NOTÆ.

126. Personam novam *Indictam, incognitam:*
representar un nuevo personage.

128. Difficile est &c. *Posset ita enarrari locus iste. Non sum nescius, arduum esse, in communi, trito, & obvio argumento ita versari, ut propria quadam, & illustri ratione tractetur;* tamen ea difficultas deterrire te non debet, immo etiam accendere: itaque auctor tibi sum, ut potius argumentum dicendi sumas ex *Iliade*, quam aliquid aliud *indictum, & ignotum*. Aliam in sequenti adnot. *subjicio explanationem, quæ omnianus fere interpretum est.*

Communia. *Omnibus exposita, & ut ajunt, primi occupantis: quæ nemo adhuc attigit. Ilias, v.g. non est commune argumentum, sed ab Homero jam occupatum, & illius proprium. Est autem difficile tractare, & ornare communia ejusmodi, & intacta argumenta, quia patent omnium censuræ, quia neminem habet poëta, quem sequatur; quia omnia de integro sunt ceasingmentanda, & invenienda &c.*

141. Publica materies. *Tales sunt Ilias, Odysea, Thebais &c. ab omnibus enim sumi possunt*

argumenta tragœdiarum ex iis poëmatis ducta.
Potest etiam intelligi publica materia, quam com-
munem antea dixit: nempe argumentum à nemi-
ne occupatum.

132. Orbem. Aristoteles tertio Rheticorum docet, fuisse librum quemdam Græcè scriptum, qui ἐπικὸς κύνος, id est, Orbis Epicus, dicere-
tur, sive Circulus Poëticus, varia carminum argumenta, historias veteres plurimas, ac fabu-
larum poëticarum compendium quoddam comple-
tens. Monet igitur Horatius, non esse argumen-
ta ex Orbe illo sumenda eodem plane modo, quo
in eo scripta forent; sed immutanda, & ornan-
da esse &c. Simplicius exposui de serie quadam,
& circuitu narrationis trito, & obvio, in quo res
ab initio ad finem, prout acciderunt, referuntur:
quo nihil est ad conscribendum poëma insulsius.
Hoc in Lucano jure arguitur, qui belli civilis
historiam potius, quam poëma fecit. Hinc vi-
lem, & patulum orbem appellat: vilis est,
quia nihil in eo elucet ingenii, & artis: patu-
lus, quia late, ac sine delectu funditur. Heinsius
orbem hic dici putat quodlibet episodium; &
quidquid adhibetur præter ipsam rem, & argu-
mentum, qualia plurima sunt v. g. in Homero:
quasi Horatius doceat, non esse in vulgaribus, ac
tritis episodiis hærendum, sed nova excogitanda.

Sanè loqui τὰ κύκλων, in orbem, est Aristotelī, aberrare à proposito, uti digressione, & diverticulo.

135 Pedem referre. *Ita vulgo legitur. Videaturque Horatius produxisse primam syllabam verbi referre, ut produxit eamdem in verbo reducere, Epist. 3. Lib. I. Neque necesse est, ut cum Lambino legas refferre. Sunt, qui scribendum pugnant pedem proferre, id est, in eum locum subire, unde ulterius progredi nequeas.*



IV.

QUÆDAM SUBJICIT DE
partibus poëmatis sigillatim sumptis,
initio, medio, extremo, a 136.

ad 153.

NEC sic incipies, ut scriptor cyclicus olim,
Fortunam Priami cantab⁹, & nobile bellum:
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes: nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte! 140
Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Trojæ

C

Qui

*Qui mores hominum multorum vidi, & urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa debinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Cha-
rybdin:*

145

*Nec redditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, & in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit. 150
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

Neque verò ita inchoabis carmen, ut
poëta quidam circumforaneus, For-
tunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Magnificum utique exordium, quod mira
quædam, & ingentia polliceri videatur! Sed
fallet exspectationem scriptor imperitus: mōs
parturiens, ut in fabulis est, horrificos edet
sonitus, ac denique murem exiguum, non
sine hominum risu, producet. Quanto pru-
dentius facit ille emonētæ naris poëta, &
egregie cordatus, qui sic Odysseam inchoat:
*Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora
Trojæ Qui mores hominum multorum vidi, &
urbes. Non ignem splendidum initio excitat,*
qui

qui desinat in caliginem, & fumum; sed obscuro, & quasi fumoso exordio subtexit illus-
tria plurima, & portenti similia, quæ per-
trinant oculos, & feriant multa luce; pro-
fert Antiphaten, Scyllam, Charybdim, Po-
lyphemum, & alia id genus monstra. Idem
regressum Diomedis in patriam non inchoat
à Meleagri obitu; nec belli Trojani exor-
dium repetit ab duobus illis ovis, è quorum
altero natam Helenam ferunt: ad exitum to-
tius poëmatis semper ita properat, ut finem
instare putas, & in medium narrationem, tam-
quam si de rebus jam cognitis ageret, audi-
tores mira celeritate deducit, eaque omittit,
ac filet, quæ non sperat ornari dicendo posse,
ac tractando poliri. Sic ingeniosè fingit, sic
lucida mendacia rebus veris permiscet, ut
media primis, mediis extrema consentiant,
congruantque.

NOTÆ.

136. Scriptor cyclicus. *Qui sui carminis ar-
gumentum è libro illo sumposset, quem Epicum
Orbem, sive Cyclum fuisse appellatum dixi:
vel circumforaneus poëta, dignus, qui circula-
tores inter, & præstigiatores numeraretur, qui
sua carmina in circulis plebeculæ recitaret;* *nónnus*
circulus, corona, multitudo. Vel denique Epi-

*cus Poëta, qui vulgaria, & trita episodia secta-
retur, & illustri exordio centones sordidos adjue-
ret. Nam poëtas Epicos, eo quod episodia frequen-
ter adhiberent, Cyclicos fuisse nuncupatos, ostendit
Heinsius: ex quo etiam discimus, Mævium
ineptum poëtam, quem in Eclogis carpit Maro,
poëma de Trojano bello scripsisse, in quo totam
persequebatur historiam Priami, ab ejus ortu ad
obitum usque: & illius poëmatis hoc fuisse prin-
cipium: Fortunam Priami cantabo, & nobi-
le bellum.*

139. Parturient montes. *Nota Æsopi fabel-
la, mons quasi parturiens, horrificos edebat so-
nitus. Exspectabant populi, quorsum evasuri essent
tanti fragores, & regioni suæ metuebant: ecce
tibi mus è montis radice prodiit, ac metus omnis
in risum est solutus.*

140. Hic. Homerus, qui sic Odysseam orditur:
*Αὐδῆα μοι ἐρεπε, μοῦσα, &c. Dic mihi, Musa,
viram &c.*

143. Non fumum &c. *Palea statim comburi-
tur, & splendidum ignem præbet; sed mox in
fumum ilie splendor evanescit: ligna solida ægrè,
nec sine fumo accenduntur; sed luculentum ig-
nem fovent, ac diuturnum.*

145. Antiphaten. *Antiphates, Rex Læstri-
gonum, homines devorare solitus. Eam Italæ
oram*

oram incoluit, ubi Formiae conditae. In ejus litora cum ejectus tempestate Ulysses fuisset, tres e suis sociis, qui regionem explorarent, dimisit. Antiphates unum ex iis correptum, ore crudo lanavit: ceteri vix fuga sunt elapsi, quos Antiphates cum magna suorum manu insecutus, naves Ulyssis omnes, conjectis in eas saxis, ac trabibus, demersit, una tantummodo excepta, qua Ulysses ipse vehebatur, qui, praecisis navi-
gii funibus, effugit. Homer. Odyss. 10.

Scyllam, Charybdin. Scylla, & Charybdis, duæ sunt voragine in freto Siculo, altera alteri opposita. Scyllam Phorci filiam fuisse, fabulis proditum est, quæ à Circe mutata sit in mons-
trum canibus succinctum. Charybdin vero narrant mulierem existuisse rapacissimam, quæ icta fulmine, quod Herculis boves surripuisset, in mons-
trum, seu voraginem est conversa. Meminit utriusque Virgil. III. Eneid. versu 420. De Charybdi agit Horatius Od. 22. Lib. I.

Cyclope. Polyphemo, qui tres Ulyssis socios devorasse narratur ab Homero Lib. IX. Odyss. Lige etiam Virg. Lib. III. En. vers. 620.

146. Reditum. In Aetoliam, Græciae regio-
nem, reversus est Diomedes post Trojæ exci-
dium. Virgil. Lib. IX. vers. 240.

Diomedis. Od. 5. Lib. I. Diomedes filius

Tidei fuit: Tideus frater Meleagri; Meleager Oeneo Calydoniae Rege, & Althaea natus est. Cum recens editus fuisset in lucem, vidi Althaea tres Parcas igni adsidentes, & manu stipitem tenentes, quo exusto moriendum Meleagro foret. Recedentibus Parcis extinxit Althaea titionem. Progressus etate postea Meleager ferocem aprum irâ Dianæ ab Oeneo contemptæ immisum, & omnia vastantem interfecit, ejusque caput Atalantæ, fasii Argivorum Regis filiæ, quæ aprum prima vulneraverat, dedit. Praelatam sibi Atalantam molestè tulerunt Meleagri avunculi, Althaea fratres, qui rem ipsi quoque in apro interficiendo strenue gesserant: à Meleagro, coortâ rixâ, perempti sunt. Quod ubi rescivit Althaea, doloris impotens, titionem fatalem igni admovit, quo exusto, Meleager lentâ febri consumptus periit. Ovid. VIII. Met.

147. Ab ovo. Fingunt Poëtæ Clytemnestram, & Helenam, quæ causa belli Trojani fuit, ex ovo uno fuisse pregnatas.

148. Ad eventum. Quam catastrophem vocant, & nodi tragici solutionem: el desenlaze de la accion. Sic Virgilius, Homeri exemplo, incipit suam Aeneidem ab ultimo è septem, quibus Aeneas erravit, anno, quo delatus est in Libyam, ubi narrat Didoni ea, quæ sex annis priori-

ribus pertulerat. Homerus initio Odyssæ proponit consilium Deorum, & decretum, ut Ulysses in patriam revocetur: adeo ut nihil videatur superesse narrandum.

In medias res &c. Omissis illis rebus, quæ præcesserunt actionem primariam, quam sibi narrandam proponit, illam ipsam in se ipsa spectatam statim ingreditur, & illi proxima quæqua persequens, ea, quæ sunt remota, & aliena, negligit, differt, aut leviter adtingit.

151. Mentitur. Tota structura poëmatis non veritate, sed verisimilitudine nititur: neque quid factum fuerit, sed quid fieri vere potuerit, ac recte debuerit, poëtæ spectant. Satius tamen est actionem saltem primariam totius poëmatis, & ad quam aliæ referuntur, vere gestam fuisse.



V.

DE MORIBUS ÆTATI CULIBET,
ac personæ aptandis fusius differit
à 153. ad 190.

TU quid ego, & populus mecum desideret audi,
Si plausoris eges aulæa manentis, & usque
C 4 Ses-

Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat: 155
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo
Signat humum, & gestat paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas. 160
Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris, 164
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Conversis studiis ætas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitias, inservit honori;
Commisiffæ cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quærit, & invētis miser abstinet, ac timet uti; 170
Vel quod res omnes timidè, gelidèque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: censor, castigatorque minorum:
Multa ferunt anni venientes commoda secum, 175
Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueraque viriles,
Semper in adjunctis, ævoque morabimur aptis.

Si spectatorem quæris benevolum, qui
 tragœdias tuas secundo plausu prosequa-
 tur,

tur, ac tamdiu sedeat, dum siparium attollatur, & actor aliquis solemnī vocula, *Plaudite*, spectantem populum dimittat; danda tibi opera diligenter est, ut mores, unicuique accommodatos ætati, accurate depingas, ut indeolem, ac varia hominum studia, quæ, prout anni deceidunt acceduntque, commutantur, decenter exprimas. Puerō, qui jam repetere auditas voces potest, ac firma cœpit humi ponere vestigia, gratius nihil accidit, quam indulgere ludo cum æqualibus; nihil frequenter, quam leviter, & sine certa causa irasci, ac placari. Adolescens, cui nondum primæ barbæ lanugo succrevit, moderatore suo liberatus, equis delectatur, & canibus; decurrere per apricum, & patentem campum amat; instar ceræ mollis fingitur ad omne vitium, ac ducitur; ægrè fert, si quis monet, ac benè ipsi consulit; tardè prospicit, quæ in rem sunt; in sumptum est profusus; animosus, elatus, obsequens cupiditatibus; demum facile, ac citò fastidiens, quæ vehementer adamavit. Virilis ætas mutato animo, & ab nugis ad graviora traducto, in colligendas divitias, in parandos amicos, incumbit; rationem honoris præcipuam habet; cavet, ne quid faciat, quod

infectum post paullo, & mutatum velit. Senex plurimis laborat, ac velut obsidetur incommodis: seu quia totus est in congerendis opibus, quas ubi parcas habet, iisdem misere abstinet, ac, tamquam sacris, parcit: seu quod in gerendis negotiis friget, eunctaque pertimescit: procrastinator, ignavè omnia tractans, & remisso; spem semel conceptam diu fovens, retinensque pertinaciter; rerum futurarum, ac longioris vitæ desiderio flagrans, morosus, querulus, laudans ea tempora, quæ ipse, cum esset puer, vidit: juniorum objurgator asper, & severus. Ætas accrescens multa nobis adfert commoda; multa decrescens ausfert. Ne igitur juveni adfingantur mores, & studia senis; aut viri, puero; ea unicuique ætati adsignare oportebit, quæ cum illa sunt conjuncta, aut quæ illi maxime adposita videntur esse.

NOTÆ.

154 Aulæa. Epist. I. Lib. II.

Manentis. Exspectantis. Tandiu sedentis, dum siparium attollatur, & finis fabulæ imponatur. Vid. Epist. I. Libri II.

155. Cantor. *Præco*, *actor* è *choro aliquis*.
 157. Decor. *Decorum*; τὸ πρέπον. *Quod decet, convenit.*

158. Reddere. *Repetere verba, quæ doctus est.*

172. Spe longus. *Quidam exponunt, tardus ad bene sperandum, δύσελπις, ut ait Aristoteles. Hoc eo fit, quod senes timidi natura sint: nimirum usū ipso didicerunt, res è sententia difficile confici; multa nobis præter spem, & votum evenire. Iidem tamen aluntur spe, spem vitæ longam habent, neque est ullus tam senex, inquit, credo, Tullius, qui non speret, se annum adhuc posse vivere. Quo vitam sibi citius ereptum iri vident, eò pertinacius eamdem conantur, avidiusque retinere.*

175. Anni venientes. *Ætas accrescit, ac floret usque ad annum ferme quadragesimum, aut paullò præterea: decrescit, vergiturque ad senium exinde.*

AUT agitur res in scenis, aut acta refertur.
A Segnus irritant animos demissa per aurē,
 Quām quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
 Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus

Dig-

*Digna geri promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.*

Nec pueros coram populo Medea trucidet; 185.

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;

Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.

Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Neve minor, neu sit quinto produc^tior actu

Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi. 190


QUÆDAM actiones in theatro exhibentur,
quædam narrantur ab aliquo actore.


Multò levius animos spectantium mo-
vent quæ auribus accipiuntur; quam quæ per
oculos, quorum est fides, & auctoritas lon-
ge certissima, hauriuntur. Hæc enim ipse
spectator sumit per se se, non ab alio mutua-
tur. Cavebis tamen, ne in theatrum ea pro-
feras, quæ post scenam geri debent, & ab
oculis plurima removebis, quæ post paullò
autib[us] tradantur, ab actore præsente
scilicet, eadem graviter, & ornatè na-
rrante. Ne Medea filios spectante popu-
lo jugulet; aut humana membra in om-
nium conspectu sceleratus Atreus coquat:
aut Progne in volucrem mutetur, Cadmus
in serpentem. Quæcumque hunc in modum
exhibes, aversor, & iis fidem abrogo. Si

tragædiam , vel comœdiam placere spectato-
ribus , ac sæpius in scenam revocari cu-
pis , fac ne pauciores habeat actus quam
quinque , nec plures .

NOTÆ.

181. Fidelibus. *Qui rem fideliter exhibent.*
 185. Medea. Od. 1. Epodon. *Hæc Iasonem*
secuta , cùm ab eo se videret sperni , Creontis-
que filiam sibi anteferri , liberos tres , quos ex
eo suscepserat , interemit , spectante Iasone , ut
fuse narrat Seneca.
186. Atreus. Od. 14. Lib. I.
 187. Progne. Od. 11. Lib. IV.
 Cadmus. *Agenoris , Phœniciæ in Asia Regis ,*
filius , qui Thebas in Bœotia condidit , ac senio
confectus , in serpentem mutatus canitur ab Ovi-
dio III. Met.





VI.

DE TRAGOEDIA, ET COMOEDIA
 seorsum disputat : de numero actuum,
 de officio chori , de musica , quæ inter
 actus interjicitur , & Satyricis fabulis:
 de versu jambico ; de auctoribus , & in-
 ventoribus tragœdiæ , & veteris comœ-
 diæ : ait utramque à Græcis inventam,
 tentatam feliciter à Latinis , & ab iisdem
 felicius tractandam fuisse , nisi eos deter-
 reret bene scribendi labor , & mora quæ
 duo plus jubant ad poëseos laudem ad-
 sequendam , quam solitudo , & negligen-
 tia in cultu corporis , qua se vulgo
 tūm poëtæ commendabant : à
 versu 190. ad 309.

NEC Deus intersit , nisi dignus vindice nodus
 Inciderit , nec quarta loqui persona laboret .
Actoris partes chorus , officiumque virile
Defendat : neu quid medios intercinat actus ,
Quod

Quod non proposito conducat, & hæreat apte. 195
Ille bonis faveatque, & concilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes:
Ille dapes laudet mensæ brevis: ille salubrem
Justitiam, legesque, & apertis otia portis:
Ille tegat commissa, Deosque precetur, & oret, 200
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

NEQUE Deus quispiam interponatur, & è cælo devocetur, nisi tam difficilis nudus, actio tam implicata sit, ut solvi ab alio, præterquam à numine, non posset. Nec quatuor personæ in eadem scena loquentes facile inducantur. Chorus adjuvet actores pro virili, & unius actoris partes, ac locum obtineat. Nihil canat inter ipsos actus, quod alienum sit ab argumento fabulae, eique non conveniat. Ille probos laudibus, ac favore prosequatur, amicos benevolentia complectatur, æstuantes iracundia moderetur, & compescat, foveat, confirmetque insontes, ac probos. Idem laudet frugalitatem, æquitatem, leges, tranquillitatem, & otia, quæ securos patentibus urbium portis cives præstant. Idem celet arcana si bi credita, Deos obtestetur, ut ærumnosos revisat Fortuna felix, superbos deserat.

NOTÆ.

191. Vindice. *Qui fabulam quasi peritoram, & exitum non habituram servet, ac restituat. Qui eam adserat in libertatem, cum ejus nodos poëta dissolvere non possit.*

192. Nec quarta &c. *Si quarta persona intercedat, vel tacita audiat, vel secum, &, ut ajunt, à parte, non cum aliis, loquatur.*

193. Actoris &c. *Chorus debet rei, quæ geritur in scena, pars esse, illam promovere, τονταριζεσθαι, ut loquitur Aristoteles, & actoris locum obtainere, hacer papel de un solo personage: ita ut illa multitudo, ex qua constat chorus, quasi vir unus sit. Ita explicabis voces illas, officium virile defendat. Heinsius opinatur, virile positum esse pro, viriliter, strenue.*

Chorus. *Hominum cætus, virorum, aut mulierum, quem verisimile erat interfuisse negotiis in scena exhibitis, quique eadem consilio, precibus ad Superos fuis, adjuvabat. Si res agebatur in aula regia, ex aulicis conflatus erat chorus: si in platea, in atrio, ubi populus vulgo frequens adstat, chorus è populo constabat.*

196. Concilietur. *Legitur etiam consilietur, juvet consilio.*

Ti-

TIbia non, ut nunc, orichalco vindta, tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco,
Adspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Non dum spissa nimis complere sedilia flatu: 205
Quo sane populus numerabilis, ut potè parvus,
Et frugi, castusque, verecundusque, coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus: 210
Accessit numerisque, modisque licentia major.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus, urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumque, & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem. 215
Sic etiam fidibus voces crevere severis;
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps,
Utiliumque sagax rerum, & divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit oh hircum, 220
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, & asper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, & potus, & exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces 225
Conveniet Satyros, ita vertere feria ludo,

*Nec quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros,
 Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
 Migret in obscuras humili sermone tabernas; 229
 Aut dum vitat humum, nubes, & inania captet.
 Effutire leves indigna tragœdia versus,
 Ut festis matrona moveri jussa diebus,
 Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.*

NON erat olim tibia, ut nunc est, ornata orichalco, & tubæ par: sed exigua, inornata, paucis prædita foraminibus: itaque choris adjuvandis erat idonea, & audiri facile poterat in confessu spectatorum, nondum ita numero: quippe tunc modica populi multitudo spectatum confluebat, eademque constabat ex hominibus probis, pudicis, ac verecondis. At postquam populus devictis hostibus fines imperii protulit; postquam Urbs majore cincta muro est, ac per festos dies palam, & de die, citra legum, ac pœnæ metum, potari, atque epulis in honorem Genii coeptum est indulgeri, tunc pœfis, & musica solutiōres, ac liberiores evasere. Quem enim tenere modum posset rusticus imperitus, & impurus, agresti perfunditus opere, mixtus cum cive liberaliter, & honestè instituto? Itaque tibicines ad antiquam

quam artem, & simplicem, adjunxerunt inconditas saltationes, sumptum fecerunt in ornatum elegantiores, ac per theatrum longo induti syrmate spatiati sunt. Ad eundem modum citharis, antea graviter, & summisse canentibus, additae sunt novae chordae. Ipsi actores veterem loquendi formam, ac simplicitatem peros, incitatam, ac volubilem eloquentiam in theatrum attulerunt; & eorum sermo antea comparatus ad homines utiliter, ac solerter monendos, ad denuntianda, quæ imminerent illis, pericula, si millimus Delphicis oraculis, propter obscuritatem, & ambages, evasit. Tragœdiarum scriptores, qui olim inter se certabant, hircos in præmium illi, qui omnium optimè scripsisset, proposito; non ita multo post induxerunt in scenam Satyros agrestes, & nudos. Sic asperitatem severi, ac ferii carminis exhilarare conati sunt jocis intermixtis, ita tamen, ut sua maneret incolmis, & farta tragœdiæ gravitas. Scilicet spectatores peractis sacrificiis, saturati, & metu legum soluti, tenendi erant aliqua voluptatis illecebria, & novitate spectaculi pariter, ac suavitate pascendi. Verum ea tantum lege istas ridiculas personas, & Satyros cum suis

falibus, & asperioribus conviciis, laudare, atque adhibere oportebit, ita serio carmini ludicrum subtexere fas erit, ut ne, postquam fuerit heros quilibet, vel Deus in scena paullo ante conspectus, cum illis suis regiis ex auro, & purpura vestibus, idem statim misceatur tabernariis opificibus, & eorum orationem obsoletam, ac proletariam imiteatur: aut dum sermonis humilitatem fugere studet, attollat se plus justo, & pompam inanem, ampullasque consecetur. Tragœdia, cuius dignitas, & majestas à versibus abjectis, levibusque abhorret, inter Satyros petulantes non sine verecundiæ versabitur, matronæ instar, quæ diebus festis jubetur saltare.

NOTÆ.

202. Tibia &c. *Tria chori officia fuisse dixit: primum, ut actoris locum & partes obtineret: alterum, ut aliquid inter actus recitaret: tertium, ut cantu, & musica fessas carminibus aures mulceret.* De duobus primis muneribus haec tenus dixit: agit nunc de tertio.

Orichalco. *Orichalcum, metalli, & aeris quoddam genus est, in montibus effodi solutum: ἄρος, mons: γαληνὸς, æs.*

Diu.

209. Diurno. *Ne diebus quidem festis licet apud veteres Romanos comedessari de die: sed sub vesperam duntaxat.*

210. Genius. *Epist. 2. Lib. II.*

211. Numeris. *Od. I. Lib. IV. v. 11. Numeri pertinent ad pedes versuum: modi ad inflexiones varias vocis, quæ modo attollitur, modo deprimitur: nunc producta vibratur, nunc accisa contrahitur. Digitis numeri expenduntur, auribus modi.*

215. Pulpita. *Pulpitum hic locus est editior in theatro, in quo fere mimi, & histriones se-debant.*

Vestem. *Hanc vulgo vocant syrma, σύρμα, à σύρω, traho.*

216. Voces crevere. *Audi sunt nervi, & chordæ, quæ vocum discrimina faciunt in citharis. Quatuor fuere initio chordæ in lyra; mox septem; postmodum plures.*

218. Utilium &c. *Possis etiam sic illud exponere: Et eorum sententiæ, moralium, utiliumque præceptorum, ac vaticiniorum de rebus even-turis plenæ, non abhorrebant à Delphicis ora-culis.*

Divina. *Præsaga. Futura prædicens.*

219. Sortilegis. *Ubi oracula eduntur, eductis sorte chartis, aut tabellis, in quibus Apollinis*

responsa continebantur. Hinc factum, ut oracula ipsa sortes appellarentur.

Delphis. *Delphi*, urbs Græciæ in finibus Bœotiae, & Phocidis, prope Parnassum, in qua templum Apollinis celeberrimum, à Gallis, Brenno duce, direptum. Od. 6. Lib. I. Nunc vicus est. Delfos.

220. Ob hircum. *Post vindemiam incondita quædam carmina recitabantur in honorem Bacchi & rusticis. Ex iis, qui suas partes optimè omnium egisset, is hirco donabatur. Est enim hircus Bacchi hostis, quia vites adrodit, eique immolari solebat. Hinc etiam natum tragœdiæ nomen, à τράγος, hircus, & ὥδη, canto, verso, ο cantinela.*

221. Satyros. *Post serium poëma, in quo fere Bacchi laudes canebantur, inductum est alterum jocosum in eamdem scenam ad animos exhilarandos. In eo Satyri, Silenus, & alii quidam Bacchi comites exhibebantur. Immo illud ipsum carmen dicebatur Satyrus, aut Satyri. Et longo post tragœdiam excultam tempore permanxit non solum apud Græcos, verum etiam apud Romanos, apud quos ejusmodi fabulæ vocabantur Atellanæ, ab Atella Oscorum urbe, in qua primum editæ. Porro in Satyricis illis fabulis ita chorus constabat e Satyris, ut heroas, ac Di-*

vos etiam , reliqua fabula non respueret. Ita in Cyclope Euripideo Ulysses primas partes agit.

Asper. Fortasse ob sales , & amaros , quibus scatebant isti Satyri , jocos.

228. Nuper &c. Tragœdiæ gravi , & seriæ , ut dixi , subjiciebant Atellanam , sive Satyrum ; at sœpe utriusque fabulæ eadem erat primaria persona , sed actio , & argumentum dispar. Monet igitur Horatius , ut qui heros in tragœdia visus paullo ante fuit , non exuat omnino illam gravitatem in hilariori , quæ subjungebatur , fabula , sed eam tantum temperet ; ac pudorem , gravitatemque matronæ imitetur , quæ festis diebus jubetur saltare. Græci poëtæ quatuor scribere tragœdias de uno aliquo heroe amabant , & quatuor illius actiones imitari : earum fabularum ultima semper erat satyrica.

229. Tabernas. Respicit Horatius genus quoddam fabularum comicarum , quas Tabernarias appellabant , quia spectabantur in ipso theatro tabernæ , & cauponæ . In iis partes agebant personæ humiles , stilius è trivio sumptus erat. Itaque multo Atellanis ipsis deteriores , & ignobiliores habebantur.

232. Jussa. Vulgo puellæ in religiosa festorum dierum hilaritate saltare jubebantur : interdum matronæ per pontifices delictæ , ut in festis Cybeles.

233. Intererit &c. Explicui, *Versabitur inter Satyros*. Lambinus exponit, differet, discrepabit paullulum ab aliis *Satyris*, sive fabulis satyricis, in quibus soli partes agunt *Satyri*, qui vulgo sunt petulantes, & protervi. Tragædia quælibet, utpote verecunda per se, & gravis, licet hilarior aliquando sit, plus modestiæ, ac pudoris habere debet, quam vulgo inest in *Satyris*.

*****S*****

NON ego inornata, & dominantia nomina solū,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo: 235
Nec sic enitar tragicō differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum:
An castus, famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quisvis 240
Speret idem: sudet multum, frustaque laboret
Ausus idem: tantum series, juncturaque pollet;
Tantum de medio sumptis accedit honoris.
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne velut innati triviis, ac pæne forenses, 245
Aut nimium teneris juvententur versibus umquam,
Aut immunda crepant, ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim quibus est equus, & pater, & res:
Nec

Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donante corona. 250

EGO certe, si Satyros componam, non
ita sectabor, & usurpabo incultas,
plebejasque voces, & eas, quæ res pro-
prio suo nomine appellant, ut aliis ornatio-
ribus, ac modestioribus abstineam; nec ta-
men tragicum stilum ita religiosè fugiam, &
vitabo, vt nullum discrimen ponam inter
sermonem, quo utatur Davus, aut Pythias,
cum talentum à Simone per dolum extorsit;
& quo utatur Silenus, Bacchi custos, &
alior. In componendis porro argumentis
ejusmodi fabularum id maximè sequar, ac
spectabo, ut ea, quæ fingam, accedant pro-
ximè ad similitudinem rerum vulgo notarum,
& in usu communi, vitaque positarum;
adeo ut quilibet confidat se nullo negotio
ita scribere potuisse, sed tamen, si experi-
ri velit; laborem gravissimum, & inanem
sumat. Tantam vim habet apta coagmenta-
tio singularum fabulæ partium, & ordo re-
rum ingeniosus, ac series; tanta dignitas ad-
ferri potest arguento etiam vulgari, & tri-
to. Cùm Fauni producuntur velut è silvis in
theatrum, providendum est, mea quidem
sen-

sententia , ne , tamquam si media essent in urbe nati , atque in triviis , & platea versati , aut politulo carmine garriant juveniliter , aut obscenas voces , & contumeliosas ore putido male rucent . Ægre hæc audiuntur ab equitibus , ac ceteris , qui splendore generis , opibusve præstant , civibus ; nec si quid laudatur à plebecula , fricto cicere , nucibusque vesci solita , hoc idem illi comprobant , & præmio dignum censem.

NOTÆ.

234. Dominantia. *Ducta vox à Græca voce nūpiος*, propio , dominante. *Propria rerum nomina sic vocantur* , à quibus temperandum , si obscena sint , utendumque metaphoræ , aut periphrasi.

238. Pythias. *Ancilla quædam comica.*

Emuncto. *Emungere aliquem argento , locutio est apud comædos usitata* : pillarle los cuartos con destreza.

Simone. *Sene bono , à quo ancilla nummos expiscata erat.*

Talentum. *Vide quæ de talentis ad calcem operis dicentur.*

239. Silenus. *Altor Bacchi , & comes , Saty-*

rorum veterrimus. Satyros agrestis, ferusque sermo decet. Silenum tamen gravior, & honestior, quam servuli, aut uncillæ.

244. Fauni. Od. 13. Lib. III.

245. Forenses. *In foro versati: en la plaza de Roma.*

248. Pater. *Clarus scilicet, ac nobilis.*

249. Ciceris. *Cicer, pisi genus, quod frigebatur, & plebeculæ vendebatur. Sat. 3. Lib. II. v. 182.*

Syllaba longa brevi subiecta, vocatur iambus,
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere jussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus;
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paullo, graviorque veniret ad aures, 255
Spondæos stabiles in jura paterna recepit
Commodus, & patiens: non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic & in Acci
Nobilibus trimetris appareat rarus: & Enni
In scenam missos magno cum pondere versus, 260
Aut operæ celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quisvis videt immodulata poëmata judex;
Et data Romanis venia est indigna poëtis. 264

Id

*Idcircone vager, scribamque libenter? an omnes
Visuros peccata putem mea tutus, & intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.*

*At nostri proavi Plautinos & numeros, & 270
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modò ego, & vos
Scimus inurbanum lerido seponere dicto,
Legitimunque sonum digitis callemus, & aure.*

Longa syllaba postposita brevi dicitur jambus, qui pes admodum est celer, quæ causa est, cur versus jambici, licet constent sex pedibus, atque adeo sexies aurem veluti feriant, nihilominus trimetri nominentur. Porro versus jambicus, à primo pede usque ad ultimum, totus olim ex meris jambis erat compositus, & partes omnes similes habebat: ante paucos annos, benignè passus est induci spondæos lentiores in aliquot ex iis sedibus, quas omnes unus hæreditario quodam jure obtinebat, eosque socios adscivit, ut majori cum pondere ad aures, & tardius adlaberetur: neque tamen ita cum iis sociatem iniit, ut de secundo, vel quarto loco decederet. Eiusmodi versus jambicus in se-

nariis carminibus Acci rarer est , ac meritò
condemnat , arguitque ut vitiosos illos Enni
versus jambicos , qui frequentioribus refer-
ti spondæis , & idcirco lentiores justo , gra-
vioresque , in theatrum producuntur ; simul-
que ostendit illorum auctorem aut nimium
properasse , ac parum accuratè scripsisse ; aut
artem boni versus condendi turpiter ignoras-
se. Non omnes internoscunt , ac dijudicant
poëmata suis propriis versibus , & modu-
lis parentia , & indulgentius profecto
cum Latinis poëtis actum est. An verò
propterea nulla certa lege , quocumque li-
buerit modo , scribam ? An potius ita me-
cum reputabo perspectum fore omnibus , si
quid in scribendo peccaverim , nec aliter
posse me tutum esse à publica censura , quam
si , præcisa omni spe veniae , diligenter , &
caute scribam. Quod si fecero , tametsi lau-
dem optimi carminis non continuò prome-
rear , id adsequar nihilominus , ut culpam ef-
fugiam. Vos vero , quicumque ad artis poë-
ticæ perfectionem contenditis , Græcorum
volumina diu , noctuque perlegite. At nostri
majores versus , & jocos Plauti laudibus in-
dignis extulerunt , ac nimis clementer , ne
dicam stolidè , utrosque admirati sunt : si

modo ego, & vos, ò Pisones, novimus, quid sit discriminis inter scurriles facetias, & lepidos, urbanosque jocos; si boni carminis sonum, ac numerum deprehendere callemus, tum ejus pedes digitis numerando, tum ipsis auribus modulos exponendo.

NOTÆ.

252. Trimetris. *Versus trimeter is dicitur, qui tres mensuras habet: hexameter, qui sex mensuras: pes jambus non facit unam mensuram, seu metrum, ut alii pedes; sed duo pedes jambi pro una tantum mensura numerantur.*

253. Senos ictus. *Singuli pedes singulis quasi ictibus aurem feriunt. Referri hoc etiam potest ad morem tunc usitatum, quem indicat Horatius Od. 5. Lib. IV. In dimetiendis enim versibus pedes singulos totidem ictibus, micante, ac sonante pollice, notabant: item pedum plausu. Quint. Lib. IX. cap. 4.*

256. Stabiles. *Quasi stantes firmius, quia dupli longa syllaba nituntur. Jambus autem veluti claudus est, & imparibus longa scilicet, ac brevi syllabis fulcitur.*

258. Acci, Enni. *Epist. I. Libri II.*

260. In scenam missos &c. *Ita passim legitur*

tur, & exponi recte potest de pede, seu versu jambico accurato illo, & exacto, qui rarior est in Ennio, quique illius versus missos in scenam, sive in theatro recitatos, tardos videlicet, ac spondæis abundantes, premit, id est, accusat crimine nimiæ in scribendo festinationis, & negligentiæ, aut inscitiae: hoc est, ostendit, fuisse compositos negligenter, ac præpropere. Videatur quibusdam fore sententia clarius, si legatur missus pro missos; hoc sensu: versus jambicus spondæis abundans, & in scenam missus, sive productus, arguit poëtam incuriæ, aut ignorantiæ. Sed receptam, & antiquam lectionem sollicitare, ac mouere loco temere, si exponi comode possit, religio mihi est. Tum neceſſe nihil videtur veterem scripturam mutare, si præser-tim cum Heinsio, quem sum secutus, in hunc modum interpungas ista carmina: Hic & in Acci Nobilibus trimetris apparet rarus: & Enni In scenam missos &c. Qui legunt missus, post vocem Enni adhibent punctum: quæ interpun-tio et si retineatur, legi nihilominus poterit missos: tuncque de versibus cuiuslibet poëtæ crebriores spondæos in versu jambico usurpantis, non de versibus Enni, erit accipienda sententia.

263. Immodulata poëmata. Suis modis, ac numeris carentia: que carecen de numero, y

cadencia. Nam certi numeri, ac modi, certis poëmatis convenient, non item aliis: si, v. g. festinatione sit opus, dactyli crebri erunt adhibendi: si tarditate, spondæi &c.

264. **Venia indigna.** Qua digni non erant.

265. **Vager.** An utar promiscuis pedibus, nunc jambis, nunc trochæis &c. ut libitum erit, buc illuc temerè aberrans?

267. Intra spem veniæ. *Hanc loquendi formulam expendit fuse Aulus Gellius Lib. XII. c.*

13. Lege etiam Diatribam secundam Henrici Stephani, quæ vulgo exstat ad calcem Lambinianæ editionis. Videtur hoc loco idem esse intra spem veniæ; atque citra, aut extra spem veniæ, quemadmodum Lambinus, spreta codicum omnium fide, atque auctoritate legendum autumat. Sane Florus, cum ait, Horatii sororem interficiens facinus fuisse intra gloriam, significat, sine gloria fuisse. Ac videtur ea mens Vatis nostri, & sententia esse, quippe qui has subjiccat voces, vitavi denique culpam &c. Agit igitur de poëta, qui cautè, & emendatè conetur scribere.

Cautus &c. Hunc locum sic Nannius expōnit: cautè, & accuratè scribam, ut dignus sim, cui venia detur, si quid peccem. Qui enim est intra spem, inquit, est in spe: ut qui intra

domum versatur, est in ipsa domo. Aliam hujus loci, qui eruditos etiamnum torquet, explicacionem subjicio. Ait Horatius, paucos esse, qui bona carmina internoscant à pravis: tum subdit: An quia pauci sunt idonei carminum judices, ero negligentior in scribendo? aut, quamvis errata mea sciam ab omnibus cognoscenda, nihilominus audacter, & securè peccabo, spe veniae obtinendæ? Neutrum faciam; negligentiam in scribendo, & culpam omnem effugere conabor: Neque tamen idcirco magnam laudem promerebor.

270. Proavi. *Est hic ordo: pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus. Quibus respondent, filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos.*

Plautinos. Epist. I. Lib. II.

274. Digitis. *Pollicis sonore, ut ait Terentianus. Interdum digitis dextræ manus impositis palma manus sinistræ, notabant hæc pedum intervalla. Lege, quæ diximus paullo ante de numeris, & modis.*

IGNOTUM tragicæ genus invenisse Camænæ 275
Dicitur, & plastris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora

*Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus, & modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit, magnumque loqui, nitique cothurno.* 280
*Successit vetus his comædia, non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit sublato jure nocendi.*

Nil intentatum nostri liquere poëtæ: 285

*Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deferere, & celebrare domestica facta:
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisse potentius armis,
Quam lingua, Latium si non offenderet unum - 290
Quemque Poëtarum limæ labor, & mora: vos, ò
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multæ dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.*

Thespis fertur tragicum poëma, priùs in-
cognitum, excogitasse, ac pro thea-
tro adhibuisse plastrum, in quo actores, vul-
tum vini fæce habentes oblitum, per pagos
circumvehabantur, ac voce, gestibusque tra-
gœdiam exhibebant. Post Thespidem Æschy-
lus larvam, vestesque honestas invenit, ac
stratis in editiore loco tabulis angustum thea-
trum exstruxit. Idem grandiorem actoribus
ser-

sermonem , & calceos altiores , dedit. Sub-
inde nata est comœdia vetus , ac prima qui-
dem excepta fuit hominum ingenti plausu:
sed post paullo in vitiosam licentiam dege-
neravit , quæ cum nullum teneret in vitupe-
randis palam , & nominatim hominibus mo-
dum , legibus meritò fuit coercenda : lata
igitur , & sancita lege , chorus silere cum
ignominia jussus , adempta maledicendi fa-
cultate , & alienæ famæ nocendi. In his om-
nibus poëmatis versati sunt poëæ nostri , nec
laudem exiguam fuere promeriti , cum præ-
fertim imitari Græcos , & eorum vestigiis
velut inhærere desierunt ; cum in domesti-
cis , & patriis argumentis tractandis au-
si sunt experiri , quid possent , sive facta he-
roum repræsentarent in his fabulis , quæ præ-
textæ dicuntur ; sive privatorum hominum
actiones in iis , quæ vocantur togatae. Ne-
que verò majorem ab re bellica , quam à li-
teris , & facundia gloriam Romani colli-
gerent , nisi poëcas plerosque omnes deter-
reret labor limandi , & perpoliendi carminis.
At vos , ô Pifones , qui originem à Numa
Pompilio ducitis , poëma condemnate , quod
longo temporis intervallo , & crebris lituris ,
emendatum non fuerit , ac decies ita corre-

ctum, nihil ut in illo acerrimi censoris trutinam, & criticen effugerit.

NOTÆ.

276. Thespis. Poëta Græcus, de quo fecit mentionem Ep. I. Lib. II. Ille rusticis post vendemiam peractam Bacchi laudes canentibus addidit actorem unum, qui graviorem aliquam histriam recitaret; & omnes imposuit plauso. Ita vini face oblii pagos obibant magno plausu. Hæc tragœdiæ incunabula fuerunt.

278. Personæ. Oris tegmen ea vox in hoc loco significat, mascara.

Pallæ. Palla, vestis honestior, ampla, & ad pedes promissa, vestido talar.

279. Æschylus. Ep. I. Lib. II. Duos actores ab Æschylo in scenam inductos fuisse, Aristoteles docet.

281. Vetus comœdia. Sat. 4. Lib. I. & Epist. I. Lib. II. Hæc viguit belli Peloponnesiaci tempore: comœdia verò, quæ dicitur nova, sub Philippo Alexandri patre exorta est. Porro comœdiæ nomen factum est è duabus vocibus Græcis πάγη, pagus, vicus, & ωδὴ, cantilena: antequam enim Athenæ essent conditæ, Attica pagis tota constabat, per quos istæ cantilenæ circumferebantur.

Sed

282. Sed in vitium. *In veteri comœdia des-criebantur homines propriis nominibus appellati*: in eoque præsertim chorus se jactabat: *ve-titum subinde fuit*, ne nomina ipsa ederentur; tamen fictis nominibus ipsæ personæ ita notabantur, ut eas quivis facile agnosceret: eaque me-dia comœdia dicta est: ad extreum parcitum est omnino personis, & in argumentis, nominibus que fictis, actiones vitæ communis, & vitia in theatro sunt exhibita, quæ comœdia nova nuncupata fuit.

288. Prætextas. *Quid sit prætexta*, docui Epod. Od. 5. ad v. 7. *Prætexta puerorum ingenuorum*, & nobilium vestis erat, item magistratum. Hinc illæ fabulæ, quarum personæ nobiliores erant, & argumenta illustriora, præ-textæ sunt appellatae: aliæ, in quibus agebant personæ inferioris ordinis, togatæ dicebantur, quia populus Romanus toga plurimum utebatur.

Docuere. Sic Latini loquuntur Græco more: docere fabulam pro agere, exhibere.

292. Pompilius. *Numa Pompilius Rex Rom. secundus*. Od. 11. Lib. I. *Hujus filius Calpus, à quo Calpurnii Pisones*.

294. Ad unguem. Sat. 5. Lib. I. *Legendum nonnulli putant præfectum ad unguem, non per-fectum: propriè enim dicimus præsecare ungues*:

quod faciunt viri elegantes , & compti , qui diligenter cauent , ne unguis longius excrescant.



Ingenium misera quia fortunatius arte 295
Credit , & excludit sanos Helicone poëtas
Democritus , bona pars non unguis ponere curat ,
Non barbam : secreta petit loca , balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium , nomenque poëtæ ,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam 300
Tonsori Licino commiserit . O ego lœvus
Qui purgor bilem sub verni temporis horam !
Non akus faceret meliora poëmata : verum
Nil tanti est . Ergo fungar vice cotis , acutum
Reddere quæ ferrum valet , exsors ipsa secādi : 305
Munus , & officium nil scribens ipse docebo ;
Unde parentur opes : quid alat , formetque poëtam :
Quid deceat , quid non , quo virtus , quo ferat error .

Quia Democritus poëtas ingenio magis
fieri , quam arte , & labore censet ; nec
Parnassum iis patere posse putat , qui
non aliquantispèr insaniant , hinc fit , ut
magna pars vatum unguis , & barbam suc-
crescere præter modum patiatur , in abdita
loca se recipiat , balnea , & cœtus hominum
fu-

fugiat. Nimirum ineptus scriptor nomen, ac dotes egregii poëtæ consequetur, si suum caput, nullo fatis purgandum elleboro, numquam præbeat Licino attondendum. Næ ego sum parum prudens, qui adpetente vere bitem medicamentis expurgem : id facere si omitterem, nemo aliis præstantior me poëta foret. Quamquam tanti non facio ejusmodi gloriam, & poëtæ nomen, ut illud emptum valetudinis mæ detimento velim. Itaque munus cotis obibo, quæ licet hanc vim non habeat, ut quidpiam possit scindere, ferrum tamen, quo cætera secantur, acuit: quamvis ipse scriptor, & poëta non sim, ceteris tamen indicabo, quænam sint boni poëtæ partes, quo ex thesauro deponentur opes, & supellex idonea carmini; quid efficiat poëtas, quid eosdem perficiat: quid in carmine deceat, necne; quid rectum, quid vitiosum sit.

NOTÆ.

295. Misera. *Anxia, laboriosa.*

296. Sanos. *Non furentes, non adflatos entheos quidam spiritu.*

297. Democritus. *Ep. 12. Lib. I.*

298. Balnea vitat. *Vel ne sordes, illuviemque deponat: vel quia in balnea solent homines undique convenire.*

300. Anticyris. *Anticyræ sunt insulæ maris Ægæi, abundantes elleboro, quo curantur infani, & furiosi. Duæ vulgo ponuntur à geographis: itaque tribus anticyris cum Horatius dicit, hoc sibi vult, tres totas Anticyras, si tres essent, non satis ellebori habituras ad persanandum illius poëtæ vesani caput.*

301. Licino. *Licinus tonsor adeo carus Augusto fuit, ut in senatum ab eo sit cooptatus.*

302. Purgor bilem. *Hellenismus. Sic Epistola 2. Lib. II. dixit Cyclopa movetur: & Sat. 6 Lib. II. nasum supinor. Legit Lambinus purgo bilem, quia, inquit, et si Græco more dic possit, purgor animum, corpus &c. non dicitur tamen vulgo, purgor morbum, sed morbi, aut morbo: purgor tamen habent omnia exemplaria.*



VII.

CONGERIT PRÆCEPTA
 quædam communia. Nempe sapientiam,
 seu philosophiam, præsertim moralem,
 esse principium, ac fontem bene scriben-
 di: hanc à teneris descendam: quomodo
 delectare possint poëtæ, ac docere: pictu-
 ræ similem poësim esse; nullam, nisi op-
 timam, probari: mediocribus tamen poë-
 tarum delictis dari veniam oportere. Ad
 poëtam formandum, & alendum valere
 in primis naturam, artem, laborem,
 & accurati censoris judicium, à
 v. 309. ad finem.

Scribēdi rectè sapere est & principium & fons.
 Rem tibi Socratice paterunt ostendere chartæ, 310
 Verbaque provisam rem non invita sequentur.
 Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis,
 Quo sit amore parens, quo frater amādus, & haspes,
 Quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
 Par-

*Partes in bellum missi ducis: ille profectò 315
 Reddere personæ scit convenientia cuique.
 Respicer exemplar virtutæ, morumque jubebo
 Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.
 Interdum speciosa locis, morataque rectè
 Fabula, nullius Veneris, sine pondere, & arte, 320
 Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
 Quam versus inopes rerum, nugæque canoræ.*

POëmatis bene conscribendi caput est mens sana, & sapiens. Rerum copiam è Socratis scriptis haurire poteris: ibi sapientiæ effata, morumque leges omnes deprehendes, quas cum accurate provideris, & ex iis argumentum scribendi informaveris, verba ipsa ultro se offerent, & ad exprimenda animi sensa facile succurrent. Numquam laborabit in tribuendis accommodatis unicuique personæ moribus, & coloribus, qui callet, quid patriæ suæ, quid amicis debeat; quis amor parenti, quis fratri, quis hospiti sit tribuendus; quod officium sit senatoris, quod judicis, quod ducis, cui mandata fuerit belli cura. Præcipio illud in primis, ut poëta, cuius ars, & industria in eo præcipue posita est, ut actiones humanas imitetur, & exhibeat, vitam hominum quotidianam, & mores, qua-

si exemplar, consideret; ex ea nativas, & genuinas locutiones, quibus pingat ipsas actiones, hauriat. Contingit aliquando, ut fabula, in qua communes quidam de vitiis, ac virtutibus loci cum dignitate inserantur, & mores hominum belle pingantur, licet invenustè, ac sine ullo artificio composita sit, licet versus habeat gravitatis, ac ponderis expertes; plus tamen adferat spectanti populo voluptatis, eumque attentiore teneat, quam canori, sonantesque versus, sed referti nugis, rerumque, ac sententiarum vacui.

NOTÆ.

310. Socraticæ. Od 15. Lib. III.

314. Conscripti. Primi senatores à Romulo creati sunt centum, & Patres appellati, vel ab ætate, vel ab officio, & paterna civium, quam gerere debebant cura. Illis alias centum Tarquinius adjecit. Brutus, primus consul, adjectit alias centum, & Conscriptos Patres appellavit, quæ appellatio toti postea senatui tributa est.

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotunda
Musa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani Pueri longis rationibus assēm 325
Discunt in partes centum diducere: dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poteras dixisse triens, eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia: quid sit?
Semis. At hæc animos ærugo, & cura peculi 330
Cum semel imbuerit, speramus carmina fangi
Posse linenda cedro, & laevi servanda cupressū?

Ingenium, ac sermonis numerosi, & vo-
 lubilis elegantiam Musæ adnuerunt Græ-
 cis; nec miror, cum nullius rei præter-
 quam gloriæ cupidi extiterint. At Romani
 pueri in eo curam omnem, ætatemque con-
 sumunt, ut discant longis computationibus
 assēm dividere in centum partes. Age, res-
 pondeat Albini filius, si tollatur uncia è quin-
 cunce, quid restat? Responde puer, quid
 moraris? dictum jam oportuit: restat triens.
 Dicis præclarè! Euge rem familiarem pote-
 ris tueri. Addatur uncia quincunci, quid
 existet? Sex unciæ. Hæc lucri vitiosa cu-
 piditas cum nostras mentes infecerit, quæ
 tandem spes est condi à nobis versus posse
 oleo cedrino ad cariem arcendam oblinen-
 dos,

dos, & in cupressinis scriniis conservandos.

NOTÆ.

327. Quincunce. *Quincunx unciæ sunt quinque.*

328. Triens. *Quatuor unciæ, tertia pars assis. Aliæ partes ejusdem sunt istæ: sextans duæ unciæ: quadrans, tres unciæ: septunx, septembes, seu bessis, octo: dodrans, novem: dextans, decem: deunx, undecim.*

Eu, Græca vocula ē, benè commodè.

330. Semis, sive semissis: sex unciæ, dimidia pars assis.

Ærugo. vitium, & tabes æris; ut ferrugo, seu rubigo, ferri: hic pro avaritia ponitur.

Peculi. Pro peculii. Peculum propriè est, pecunia quælam peculiaris, proprio alicujus labore parta, præsertim à servo, aut filio familias: quam servus domini permisso; v. g. separatiū à domini rationibus comparabat, aut ad redimendam libertatem, aut alios in usus.

332. Cedro. Succus cedri arboris dicitur cariem arcere. Ipsa cedrus, uti & cupressus, blattas, ac tineas, aliasque ligni pestes, nescit.



AUT prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ:
 Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.
 Quidquid præcipies, eſto brevis, ut cito dicta 335
 Percipient animi dociles, teneantque fideles.
 Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.
 Fiſta voluptatis cauſſa ſint proxima veris,
 Nec quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi:
 Neu pransæ lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
 Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis: 345
 Celsi prætereunt auſteria poëmata Rhamnes:
 Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
 Lectorem delectando, pariterque monendo.
 Hic meret æra liber Sofiis; bic & mare tranſit, 345
 Et longum noto ſcriptori prorogat ævum.
 Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus:
 Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult ma-
 nus, & mens:
 Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum: 349
 Nec ſemper feriet, quodcumque minabitur, arcus.
 Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
 Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
 Aut humana parum cavit natura. Quid ergo?
 Ut ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque, 354
 Quamvis eſt monitus, uenia caret, & citharœdus
 Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem:
 Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Chærilus ille,
 Quem bis terque bonum cum riſu miror, & idem

*Indignor: quand^oque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.*

ID spectant poëtæ , ut vel utilia , vel ju-
cunda scribant; aut delectationi pariter,
& utilitati serviant. Si quid præcipientis in
morem componis, brevitatis potissimum ha-
beto rationem, ut brevia præcepta facile in-
fluant in attentos animos, & altius in iisdem
defixa hæreant. Res inutiles, & supervaca-
neæ statim è memoriâ , ut lymphæ pleno è
vase, dilabuntur. Quod si quid delectationis
caussa fingis, illud simillimum veri esse de-
bet , neque id tibi adrogabis, ut fidem adhi-
beri jubeas omnibus, quæcumque in scenam
à te inducta fuerint , quamlibet incredibilia
videantur: si, verbi gratia , narres puerum
ab aliqua Lamia devoratum , ab ejusdem
ventre vivum , ac spirantem extractum esse.
Senes improbant carmina , quæ nihil habent
utilitatis: at juvenes polituli , & elegantes
ea fastidiunt, quæ nihil habent voluptatis.
Omnium suffragiis ille poëta probabitur , qui
voluptatem utilitati adjunxerit, qui lectorem
oblectaverit, ac docuerit. Ejusmodi liber
Sosios bibliopolas locupletat, ille in trans-
marinas regiones deportatur ; ille celebrat

auctoris sui nomen , & immortalitati consecrat. Sunt nihilominus quædam vatuum errata , quæ merito sunt illis condonanda : neque enim chorda lyræ semper eum refert sonum , quem tangentis manus , animusque postulat , & sæpe jussa reddere gravem , acutum reponit: neque arcus semper signum , in quod sagitta dirigitur , tangit. Verum si plures loci sunt in poëmate præclari , & illustres , ignoscam paucis nævis , qui per negligentiam irrepserint , aut , ut est naturæ humanæ fragilitas , exciderint. At quemadmodum non ignoscitur librario , qui manu volumina describit , si , licet sæpe admonitus , in eumdem semper errorem prolabitur ; quemadmodum citharœdum deridemus , qui semper in eadem chorda pérperam tangenda peccat : sic poëtam , qui sæpius delirat , ac negligenter scribit , comparo illi Chærilio , quem admiror , & rideo , si quid bisterve commodè scriptitat: contra verò non possum non ægre ferre , cum Homerum cerno scribentem aliquando negligentius , ac velut obdormiscentem : quamquam danda certe venia , si quis paullulum dormitaverit in prolixo poëmate: nec omnes loci debent in carmine bono esse æque , ac eodem modo elaborati.

NOTÆ.

340. Lamiæ. *Ut Lamus, Rex Læstrigonom in Italia, fingebar homines devorare, sic in Africa Regina quædam Lamia iisdem vesci dicta est. Ejusmodi Lamias, id est, monstra muliebri specie, oberrare noctu, & pueros vorare vulgus credebat, eoque metu objecto, pueros male querulos nutrices compescabant. Lamia, la bruja, el coco.*

341. Centuriæ. *Servius Tullius anno urbis centesimo octogesimo quinto, dum censum instituit, populum omnem distribuit in sex classes præ ratione fortunarum; ita ut, qui ditissimi essent, in prima classe censerentur; alii, quorum res familiaris angustior, in aliis classibus reponerentur, certo quodam ordine servato, donec ad tenuioris fortunæ cives deveniretur, qui sextam conficiebant classem. Singulæ classes multas complectebantur centurias; prima v. g. classis centurias numerabat octoginta &c. Centuriarum pars una senes complectebatur, altera juvenes. Centuriæ seniorum: Centurias, compañias de viejos.*

342. Rhamnes. *Romulus populum Romanum tres in partes divisit, quas vocavit Tribus. Qui erant in prima vocabantur Rhamnes; qui in secunda,*

da, Tatienses; Luceres, qui in tertia: nimirum à nominibus Romuli, & Tatii Regis Sabinorum, ac Luceri Ardeatis, seu Lucumonis, Etrusci Regis, cum quibus fædus à Romulo ictum erat. Varro Lib. IV. de lingua Lat. Plinius de viris illustr. Asconius quoque Pedianus Rhamnensem tribum à Romuli nomine sic vocatam fuisse testatur. Rhamnes pro equitibus Romanis usurpat Persius. Numerus tribuum excrescit postea ad triginta quinque, ut diximus in annotat. ad Epist. 13. Lib. I.

343. Punctum. *Ep. 2. Lib. II.*
 345. Sosiis. *Ep. ult. Lib. I.*
 350. Minabitur. Promittet. *Sat. 3. Lib. II. v. 9.*
 357. Chœrilus. *Epist. 1. Lib. II.* Acron ita convenisse inter Alexandrum, & Chœrillum scribit, ut, quoties hic bonum ederet versum, nummum Philippeum acciperet; quoties malum, colaphum. Chœrilus tot malos edidit versus, ut colaphis enectus tandem perierit.



UT pictura, poësis erit: quæ, si proprius stes, 361
 Te capiet magis, & quædā, si longius abstes:
Hæc amat obscurum: volet hæc sub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen.

Hæc

Hæc placuit semel: hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis & voce paterna 366
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium, & tolerabile rebus
Rectè concedi: consultus juris, & actor
Cauſarum mediocris, abest virtute diserti 370
Messallæ, nec scit quantum Casselius Aulus:
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poëtis
Non homines, non Dii, non concessere columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors, 374
Et crassum unguentū, & Sardo cum melle papaver,
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:
Sic animis natum, inventumque poëma juvandis,
Si paullum à summo discessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit, 380
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.
Qui nescit, versus tamen audet fingere. Quidni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.

SImillima enim picturæ poësis est: quædam
 cominus placet, quædam eminus: hæc
 in obseura luce spectari amat; illa in aper-
 ta, & meridiana, censorumque eruditos ocu-
 los non extimescit: hæc semel adrisit: illa
 decies spectata numquam non adridebit. O

Pisonum natu major, quamvis te pater ad perfectam poëticæ laudem satis erudiat, ac per te ipse quid sit rectum videoas, tene memoria id, quod sam dicturus; in certis quibusdam artibus mediocritatem tolerari. Jurisconsultus non optimus, & patronus ab eloquentia Messallæ longo intervallo distat, & ab Auli Casselii eruditione; sed laudem aliquam tamen habet: at poëtas esse mediocres, non Superi, non homines, non ipsi bibliopolæ patiuntur. Quemadmodum in lauto convivio tœdium, ac molestiam parit musica incomposita, unguentum pingue, odorisque gravioris, & papaver Sardoo admixtum meli: quia grata esse poterat, ac produci bellè cœna, quamvis hæc abessent: ita carmen, idcirco factum, & comparatum, ut animos oblectet, ac doceat, si perfectum numeris omnibus non est, continuò est deterrium. Qui exercitationes in campo Martio usurpari solitas non potest cum dignitate obire, iis abstinet; qui ludere pila, disco, trocho, nescit, eos omittit ludos, ne à frequenti hominum adstantium cœtu explodatur: at quicunque condendi poëmatis imperitus est; poëma tamen moliri non dubitat. Cur tamen scribere illum vetas? inquiet aliquis, cum sit

in-

ingenuus, liber, & constet esse illi censum equestrem, demum integer vitæ, scelerisque sit purus.

361. Ut pictura &c. Poësis est loquens pictura, ut ajunt; pictura vero, tacita poësis. Ita Lambinus hunc versiculum interpungit: Ut pictura poësis: Erit, quæ &c.

370. Diserti. Disertus est, qui aptè, & concinnè dicit, diseritque; eloquens, qui movet, delectat, docet.

371. Messallæ. Sat. 6. Lib. I. Casselius Aulus. Celebris tunc jurisconsultus.

373. Dii. Apollo, Musæ &c. Columnæ. Postes tabernarum, in quibus librorum nomina erant proscripta, quas alibi pilas vocat. Sat. 4. Lib. I. Las columnas de las Tiendas de los Libreros. Vel columnæ majorum, & publicorum ædificiorum, quorum in atriis erant multæ bibliopolarum officinæ. Porro bibliopolæ poëtas mediocres molestè ferunt, quia nullus ex iis quæstus est.

374. Symphonia. Concentus: cum voces multæ conspirant.

375. Crassum unguentum. In conviviis unguento perfundebant caput. Un unguento vil.

Sardo. *In Sardinia, Cerdeña, herbæ sunt amarissimæ, unde mel ingratum. Papaveris semen tostum, cum melle in secunda mensa apud antiquos ponebatur. Plin. Lib. XIX, c. 8.*

373. Vergit ad imum. *Si non est excellens, & sublime; fordet, ac repit.*

379. Campestribus. *Od. 7. Lib. I.*

380. Trochi. *Od. 18. Lib. III. v. 57.*

383. Census. *Est hic participium vocis, & significationis patientis. Recensitus in censorum albo inter illos, qui habent summam necessariam annui proventus, ut inter equites numerentur. Erat illa festeriorum quadringentorum: Qui dum censetur, repertus est habere in bonis quadrin- genta millia æris.*

TU nihil invita dices, faciesve Minerva: 385
Id tibi judicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,
Et patris, & nostras, nonumque prematur in annū:
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris. Nescit vox missa reverti. 390


EStò, ita sentiant alii: tu, Piso, hoc sa-
tis esse me crede: opus est præterea
Ge-

Genio, faveat oportet Minerva, qua invita, & repugnante ut nihil unquam aggrediaris moneo. Atque ita te sentire confido, quæ tua prudentia est. Si quid aliquando tamen composueris, illud Metio recita, & examinandum permitte, itemque parenti tuo, & nobis. Tum etiam per novem ipsos annos domi clausum, & conditum poëma servabis. Dum latebit abditum in museo, poteris, uti videbitur, illud emendare; at cum semel editum fuerit, retexere, quod male scripseris, fas non erit.

NOTÆ.

385. Tu nihil &c. Non dubito, quin omnia facturus, & scripturus sis doctè, ac sapientè; novi mentem, & prudentiam tuam: tamen, si quid scribis, peritos judices consule. Ita Lambinus.

387. Metii. *Metius Tarpa, criticus præstansissimus. Sat. 10. Lib. I.*



Silvestres homines sacer, interpresque Deorum
 Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
 Dictus & Ampbion Thebanæ conditor arcis
 Saxa movere sono testudinis, & prece blanda 395
 Ducere, quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam
 Publica privatis secernere, sacra profanis:
 Concubitu prohibere vago: dare jura maritis:
 Oppida moliri : leges incidere ligno.
 Sic honor, & nomen divinis vatibus, atque 400
 Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
 Tyrtæusque mares animos in Martia bella
 Versibus exacuit. Dictæ per carmina fortis,
 Et vitæ monstrata via est, & gratia Regum
 Pieris tentata modis, ludusque repertus, 405
 Et longorum operum finis ; ne forte pudori
 Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Appollo.

Orpheus Deorum sacerdos, & interpres
 abduxit homines, qui olim degebant
 in silvis, à mutua internecione, & fe-
 rino victu ; quapropter literis proditum est
 eum tigres, leonesqne cicurasse. Eamdem
 ob causam narrant Amphionem, qui The-
 bas condidit, lapides lyra dulci, & blandis
 cantibus traxisse, & ad eum, quo libuisset,
 locum transtulisse. Sanè in eo consistebat
 prisca omnis philosophia, ut doceret quomo-
 do

do publicum bonum à privatorum commo-
dis effet distinguendum, quodnam effet in-
ter res sacras, profanasque discrimen; ut ho-
mines à promiscua libidine, adulteriisque de-
terreret; tori legitimi leges conjugibus edi-
ceret, urbes conderet: legibus in tabulam
ligneam incisis, & publicè propositis civi-
tates temperaret. Quocirca vates, qui hæc,
veluti divinitus accepta, tradebant homini-
bus summum sunt honorem, & eorum pari-
ter versus, consecuti. Nec ita multò post
Homerus floruit, ac Tyrtæus, qui ambo he-
roum animos ad bellum strenuè gerendum
suis carminibus incenderunt. Oracula subin-
dè versibus edita, iisdem conscripta mora-
lis philosophiæ præcepta; & Regum favor
quæsitus; iidem ad ludos scenicos adhibiti,
relaxandis animis, aliquo labore graviori,
negotioque perfunctis. Quæ si perpendes,
nihil te profectò pudebit colere Musas,
& Apollinem, atque in poëticam sedulo in-
cumbere.

NOTÆ.

392. Orpheus. *Od. II. Lib. I.*394. Amphion. *Lib. III. Od. 8. & Epist.*
13.

18. Lib. I. Cadmus Thebas condiderat : eas
murus, & arce munivit Amphion, & ad id ope-
ris cives, agrestesque in vicinia positos excivit
eloquentia sua, aut musica, quam egregie calle-
bat. Eam ob rem dictus est Thebanos muros lyra
condidisse, saxis sua sponte se componentibus, &
in mœnia surgentibus.

402. Tyrtæus. Lacedæmonii bellum grave
contra Messenios gerebant. Oraculo iussi sunt du-
cem ab Atheniensibus petere : à quibus Tyrtæum
vatem, seu ludimagistellum claudum, distortum,
luscum, acceperunt. Ille præliis aliquot initio mi-
nus prospere factis, tandem versus composuit, &
prima in acie consistens militibus recitavit. His
ita sunt incensi Lacedæmonii, ut insignem de
Messeniis victoriam retulerint, eorumque opes
omnino fregerint.

403. Sortes. Vide versum 219.

405. Pieris. Od. 2. Lib. IV.

407. Lyræ solers. Canendi perita, citharæ
præses.



Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsum est. Ego nec studiū sine divite vena,
Nec rude quid profit video ingenium: alterius sic
Al-

Altera poscit opem res, & conjurat amicè. 411
 Qui studet optatam cursu contingere metam,
 Multa iulit, fecitque puer, sudavit, & alsit:
 Abstinuit Venere, & vino. Qui Pythia cantat
 Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum. 415
 Nunc satis est dixisse, ego mira poëmata pango,
 Occupet extremum scabies, mihi turpe relinquere est,
 Et, quod non didici, sanè nescire fateri.
 Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
 Adsentatores jubet ad lucrum ire poëta, 420
 Dives agris, dives positis in fænore nummis.
 Si vero est unctum qui rectè ponere possit,
 Et spondere levi pro paupere, & eripere atris
 Litibus implicitum: mirabor, si sciet inter-
 Noscere mendacem, verumque beatus amicum. 425
 Tu seu donaris, seu quid donare velis cui,
 Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
 Lætitiae, clamavit enim: pulchrè, benè, reclò:
 Pallescet super his: etiam stillabit amicis
 Ex oculis rorem: saliet, tundet pede terram, 430
 Ut, qui conducti plorant in funere, dicunt,
 Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
 Derisor vero plus laudatore movetur.

A Gitata fuit hæc inter viros eruditos
 controversia, num ad egregium poë-
 ma scribendum natura plus adferret
 ad-

adjudimenti , quām ars. Ego non video, quid possit efficere artis industria , sine felici natura , & ingenio: aut ingenium , & beata indoles , si arte destituta , & labore sit. Sic artis subsidium natura; naturæ opes ars postulat ; sic utraque ad poëtam eximium effingendum suavissimè conspirat. Qui ad metam pervenire prior contendit in Circensibus ludis , multa jam à puerō dura , & gravia pertulit; æstu , frigore corpus corroboravit , vino , & voluptate sibi interdixit. Tibicen , qui canit in Pythiis, prius canere didicit sub severo citharœdo , à quo sæpe increpitus , & malè multatus est. Nunc sufficit ad poëtæ nomen sibi adrogandum , si quis perficta fronte adfirmet se mirificos versus edere : si malam scabiem ineptis poëtis imprecetur : egone , ait , inter extremos poëtas conjiciar? non feram , & quamvis inscitiae meæ mihi sim probè conscient , numquam tamen fatebor , me id ignorare , quod non didici. Poëta locuplex , cui multa sunt prædia, multi , quos fœnore alit , nummi, ad se se vocat adsentatores, quibus laudet , venditetque sua carmina, ingenti proposita mercede ; instar præconis , qui congregat populum ad auctionem , & merces cum lucro emen-

emendas. Sin autem est etiam fatis dives, & liberalis, ut lauto convivio illos adulatores possit accipere, vadem se offerre pro paupere, qui sponsore indigeat, eumque malis litibus extricare; portenti simile erit, si verum amicum ab falso, fictoque poterit distinguere. At tu si quid largiri alicui volueris, nolito illi accepti muneric recenti lætitia delibuto recitare tuos versus; audies enim illum exclamantem, & in eas erumpentem voces: Quām belle dictum, quām sapienter, quām ornatè! rapi se in admirationem, & propè à sensibus abduci finget, lacrimulas etiam præ gaudio fundet, ac saltabit. Ut, qui pœta mercede lacrimantur in funeribus, multò graviorem luctum & facis, & dictis præ se ferunt, quām qui vero dolore adficiuntur; ita qui per adsentationem, & ad gratiam laudat, multò id vehementius, & operosius facit, quām qui loquitur ad veritatatem, & ex animo laudat.

NOTÆ.

412. Qui studet &c. Ostendit artes omnes labore, & industria constare, ac florere, atque adeo inepté illos facere, qui, cum laborem oderint,

*rint, inter poëtas eximios ideo numerari volunt,
quod se poëtas ipsi putent bonos esse, aut tales ab adulatoribus prædidentur.*

414. Pythia. Ita vocabant ludos in Græcia celeberrimos, celebrari solitos in honorem Apollinis Pythii: sic diciti, quod serpente Pythonem interfecisset. In iis tibicines artem suam ostentabant. Præterea in choris comœdiarum canebantur quædam cantica, quæ Pythia vocabantur, quia illis erant similia, quæ canebantur in honorem Apollinis Pythii. Post illa cantica tibicen inflabat tibiam, & responsabat. Hunc Pythaulem idcirco vocabant, quia post Pythia canebat, quia Pythiis canticis succinebat.

417. Occupet &c. Proverbium quoddam, quo pueri scabiem illi imprecabantur, qui ultimus ad metam venisset.

422. Unctum. Subaudi, cibum, epulum.

431. Conduicti. Mos erat Romæ, certos homines conducere, qui lacrimis, & ululatibus funera ornarent, ac prosequerentur. Vulgo id humeris datum mulieribus, quas præficas dicebant. Plañideras.



Reges dicuntur multis urgere culullis,
 Et torquere mero, quem perspexisse laborent, 435
 An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
 Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.
 Quintilio si quid recitares, corrige, sodes,
 Hoc, ajebat, & hoc: melius te posse negares
 Bis terque expertum frustra: delere jubebat, 440
 Et male tornatos incudi reddere versus.
 Si defendere delictum, quam vertere, malles,
 Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem,
 Quin sine rivali teque, & tua solus amares. 444

Quando Reges explorare student, utrum
 aliquis ipsorum amicitia sit dignus, eum,
 ut perhibent, multis cyathis tentant,
 ac vinum, quasi tormentum, & quæstionem,
 illi admovent. Tu, cum poëma compones,
 non minus diligenter explorabis, quos cen-
 fores adhibeas; ne forte, dum animum fra-
 dulentum ore amico tegunt, te decipient.
 Si quis carminis quidpiam olim Quintilio
 recitaret: hoc, amabo te, emenda, inquiet-
 bat; illud etiam. Si poëta fatebatur, se bis
 terque locum eumdem retractasse, at frustra,
 ne-

neque se posse commodius, & elegantius scribere; jubebat expungi, & perperam, atque infabre factos versus ad incudem revo-
cari. Si peccatum suum excusare, quam cor-
rigere, scriptor mallet, silebat, neque ve-
tabat, quin se, ac suos fœtus sine æmulo
deoscularetur.

NOTÆ.

434. Culullis. Lib. I. Od. 26. *Cululli*, fideli-
les sunt *Calices*: urceoli, pocula. Si Reges in ex-
plorandis amicis adeo laborant: quanto magis in
eadem re operam nos oportet, atque industriam
omnem adhibere? Porro ajunt hoc genus quæstio-
nis à *Regibus Persarum* fuisse usurpatum.

435. Torquere mero. Ut perspicerent eorum
indolem, quæ in vino maximè se prodit.

437. Animi. *Dolosi*, & fallaces.

Sub vulpe &c. Sub clementia sinceritatis, &
amicitiæ specie. Respicere fabulam videtur, in
qua narratur, vulpem corvo caseum subripuisse,
quem stulta volucris rostro dimisit, dum vocem
suam à vulpe laudatam ostentare parat.

438. Quinctilio. *Quinctilius Varus* erat poë-
ta eximius, & censor. Hujus mortem deflet Od.
20. Lib. I.

Tor-

441. Tornatos. *Ferrum candens torno etiam fingitur, itaque recte incus cum torno hic jungitur.*

(ertes:

VIR bonus, & prudens versus reprehendet in-
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum: ambitiosa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit;
Fiet Aristarchus; nec dicet, cur ego amicum 450
Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent
In mala, derisum semel, exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana;
Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poëtam 455
Qui sapiunt: agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimes versus ructatur, & errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamve: licet, succurrite, longum
Clamet, io cives; non sit, qui tollere curet. 460
Si quis curet opem ferre, & dimittere funem;
Qui scis, an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam, Siculique poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberit 464
Dum cupid Empedocles, ardenter frigidus Ætnam

*Insiluit. Sit jus, liceatque perire poëtis.
 Invitum qui servat, idem facit occidenti.
 Nec semel hoc fecit : nec, si retractus erit, jam
 Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.
 Nec satis appetet, cur versus factitet ; utrum 470
 Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
 Moverit incestus ; certe furit, ac velut ursus,
 Objectos caveæ valuit si frangeret clathros,
 Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.
 Quem verò adripuit, tenet, occiditque legendo, 475
 Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.*

Censor sapiens, & amicus repentes lan-
 guidosque versus castigabit ; rigidè, ac
 duriter fusos arguet ; inelegantes obli-
 quo signo, & litura notabit ; ornamenta, quæ
 plus habebunt pompæ, ac splendoris, quam
 veritatis, & ponderis, amputabit ; jubebit
 obscura illustrari ; reprehendet, quæ dupli-
 cem in sensum accipi possunt ; mutandis no-
 tam inuret ; demum Aristarchus alter erit:
 neque hac utetur oratione ; cur amico nego-
 tium, & molestiam pro rebus tam levis mo-
 menti exhibebo ? Hæc levia delicta illi ve-
 ros dolores importabunt, cum ob illepidum,
 insulsumque carmen, risum de se, ac Iudos
 populo semel dederit. Poëtam quippe malum

fanus quisque non minus sedulo fugit , ac vi-
tat , quām arquatos , aut scabie turpi labo-
rantes , aut fanaticos , & ab irata Diana
percussos . Illum pueri vicatim vexant , &
gregatim temerē insectantur . Ipse , dum ver-
sus judicio suo egregios , ore subrectō erra-
bundus profundit , si ruat forte in puteum ,
aut foveam , instar aucupis , qui merulis ten-
dit insidias ; quamvis prætereuntium opem
lamentabili voce imploret ; nemo illum hinc
educere curabit . Si quis succurrere laboret ,
ac restem dejicere , ut eum extrahat ; quid
agis ? dicam , ecquid scis , an ultro se hoc
præcipitem immiserit ? an velit vivere ? si-
mul addam , quo pacto perierit Empedocles ,
qui dum existimari Deus ambit , in Ætnæ
medios ignes conjectit se se , sciens , ac vo-
lens , suique plane compos . Demus hoc jus
poëtis , hanc veniam , ut cum libebit , mor-
tem sibi confiscant . Qui mori prohibet ali-
quem invitum , idem facit , ac si illum in-
terficeret . Neque verò vesanus hic poëta
nunc primum se isti objecit periculo , neque
si eum hinc eripias , sanior evadet , cautior-
que , aut desinet genus mortis conlectari , ex
quo sibi famam in vulgus , & commenda-
tionem colligat . Unde verò illi hæc facien-

di versus insania fuerit injecta, incertum est: an quod paternum sepulcrum violaverit, an quod locum fulmine percussum pede sacrilego calcaverit. Hoc unum constat, eum furere. Utque ab urso, cum opposita caveæ suæ repagula perfregit, obvii quique in fugam conjiciuntur, ita omnes illum suos recitantem versus periti juxta, & imperiti fugiunt. Quod si quem invaserit, nusquam illum dimittit, donec recitando enecaverit, hirudini simillimus, quæ pellem non relinquit, ante quam se sanguine penitus expleverit.

NOTÆ.

450. Aristarchus. *Insignis criticus, Callimachi æqualis. In eo præsertim elaboravit, ut genuinos Homeri versus à spuriis distingueret. Hinc factum, ut rigidi alienorum scriptorum censores Aristarchi vocarentur.*

453. Morbus regius. *Aurugo etiam appellatur, ob flavum, quem inducit vultui, colorem, similem auro; Græcis est icteros; Hispania tericia. Magnificis epulis, & regisco vietu curari prohibetur. Hinc morbus regius vocatur, quasi regiis sumptibus, & opibus, ut persanetur, indigeat. Nascitur ex felle, quo per-*

*totum corpus diffuso, libescunt oculi, flavescent
membra &c. Eo laborantes arquati vulgo ap-
pellantur.*

454. *Fanaticus error. Dementia.* Nomen à
fanis, id est, delubris Deorum, ductum: in quo-
rum vestibulis solent amentes consistere, quasi à
reliquo populo sejuncti, aut stipis corrogandæ
causa. Sunt illi amentes vagi fere, ac errores.

Diana. Putabatur furorem immittere homi-
nibus. Eadem erat, ac luna. *Hinc dicti lunat-
ici, qui ingravescente, aut remittente vesania,*
*pro vario lunæ incremento, aut decremente, la-
borant.*

465. *Empedocles. Epist. 12. Lib. I.*

*Frigidus. Vecors, stolidus. Quibus enim fri-
gidior est sanguis, mens vulgo hebetior est; vel
sciens, & prudens, non æstuans ira &c. à
sangre fria.*

467. *Idem facit occidenti. Eamdem rem fa-
cit, atque occidens. Hellenismus; τὰυτὸ πράττει
τῷ κτείνοντι. vocula ὁ ἀυτὸς; idem, cum dandi
casu Græcè construitur.*

471. *In patrios cineres. Nihil olim tam san-
ctum, quam religio sepulcrorum.*

*Bidental. Locus ictus fulmine, ita dicebatur,
quia immolatis bidentibus expiabatur, & con-
secrabatur: quasi Jupiter, conjecto fulmine,
illum*

illum sibi addixisset. Itaque sudibus , aut parietina sepiebatur , nec illud septum movere , ac evellere , aut locum calcare , fas erat.


472. Incestus. *Od. 2. Lib. III.*

473. Clathros. *Obices ferreos : las rejas.*

476. Hirudo. *Pisciculus , instar exigui serpentis , qui ad exprimendum vitiosum sanguinem cuti applicatur , neque avelli , nisi sanguine opatus , potest. Vulgo sanguifuga , sanguijuela. Belle molleatum poëtam describit Martialis Epigr.*

34. *Lib. III. Occurrit &c.*

FINIS.



DE SESTERTIIS, ET TALENTIS VETERUM.

Quandoquidem s^ep^e sestertiorum, & talentorum mentio in Horatio occurrit, animadvertendum est, sestertium, qui apud Romanos duos asses cum semisse continebat, respondere quartæ illius nummi parti, quem didrachmam, sive regalem vulgo argenteum nuncupamus, *real de plata* ut quatuor sestertiⁱ didrachmam, seu regalem argenteum integrum efficiant; 100. sestertiⁱ, 25. didrachmas, aut regales argenteos: 1000. sestertiⁱ, 250. didrachmas sive regal. argent. H^ac est communis fere opinio, & si qua est inter auctores supputandi diversitas, exigui omnino momenti est.

P. Juvenci eorum opinionem sequitur, qui duo sestertiorum genera ponunt, alterum, quod masculino genere effatur, de quo superius diximus; alterum, quod neutro; quodque sestertios mille contineat. Itaque sestertium hoc 250. didrachmis, seu regal. argent. respondebit: 100. sestertia 100000. sestertiis minoribus, didrachmis, sive regalibus argenteis 25000.

Idem, cum in Gallia scriberet, s^ep^e in annotationibus Romanos nummos Gallicis conferre consuevit. Longum, & difficile esset, ex Gallicis, seu Turonicis libris inferre, quid apud nos sestertius, quid sestertium, seu sestertiorum mille, quid talentum valeat. Præter enim quam quod auctores ipsi Galli inter se discrepant, nec eadem est P. Juvenci, eadem Cl. Favre sententia, non satis certò constat, quid tunc temporis, cum auctores isti scribebant, Gallica libra valeret. Tu


ita.

itaque, supputationibus Gallicis omissis, iis utere regulis, quas supra posuimus, ut nempe quatuor festertii æquent didrachmam, sive regalem argenteum unum &c.

Argenti libra denarios, sive regales argenteos 84. continebat: festertius enim ut apud nos quartæ regalis argentei parti, sic apud Romanos quartæ denarii parti respondebat.

Talentum Ægyptium argenti libras complectebatur 80., nempe didrachmas, sive argent. regal. 6720., qui respondent scutis Romanis, seu Philippeis 672.

Talentum Atticum duplex erat: alterum majus, quod 80. minas continebat. Mina autem centum drachmis constabat, quarum singulæ apud Atticos idem valebant, quod apud Romanos denarius. Talentum itaque Atticum majus responderet 8000. argenteis regalibus; scutatis vero Romanis, seu philipeis 800. Alterum minus dicebatur, & illud est, quod vulgo intelligunt scriptores, cum talentum dicunt. Respondebat autem 60. minis; nempe denariis, sive argent. regal. 6000.; pariterque scutatis Romanis, seu philipeis 600.





3.6

66